


Digitized by Google


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
2 0
24

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
55
9 A
6

14-10. G. 16



Digitized by Google

Digitized by Google

ETHICES CHRISTIANAE

INSTITUTIONES

E PURIORIBUS SACRAE THEOLOGIAE FONTIBUS

AD USUM

CLERICORUM DEDUCTAE

AC SUMMATIM IN QUATUOR LIBROS DIGESTAE


A D. ALOYSIO FERRARI

IN THEOLOGICA ACADEMIA ROMANA CENSORE
EXAMINATORE PRO-SYNODALI
CANONICO CATHEDRALIS MUTINENSIS
ATQUE IN R. ARCHIGYMNASIO
P.° EJUSDEM DISCIPLINAE PROFESSORE









MUTINAE

EX TYPIS G. VINCENZI ET SOCII

M. DCCC. XXXII.

Non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus.

Ep. ad Ephes. Cap. 4. *v.* 14. 15.

1. BVE0413595
1. BVE0413596

AD JUNIORES

SACRARUM DISCIPLINARUM CULTORES

PARAENESIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Veritatis amorem animis hominum indidisse Supremum rerum Conditorem, satis compertum esse ex eo potissimum arbitramur, quod ferme omnes verum agnoscere peroptent, decipi autem et malum, et turpe soleant existimare. Sed tanta est naturae humanae imbecillitas, ut pauci veritatem assequantur, cum in errorem persaepe mens nostra delabatur innumeris prope fallaciis undique circumventa. Atque utinam de erroribus iis ageretur, qui neque incolumitati societatis obesse, neque virtutum incremento adversari viderentur.

Digitized by Google

At quoniam immoderatis animi cupiditatibus mens crebro concutitur, iisque multiplici modo sauciata de rebus judicat ad mores pertinentibus, mirum inde non est, e tam lacrymabili aberratione mala cuncta moralia procedere, quae humanam rempublicam per omnes fere aetates infeliciter divexarunt.

Exitiosis hisce malis pro viribus occurrere hominis cujusque munus est, qui bono fruitur societatis: quo magis igitur ad errorum tenebras, quae causae sunt effectrices malorum, procul abigendas eos adlaborare oportebit, quorum labia Scientiam custodire tenentur, (1) quosque sal terrae, mundi lucem appellat Evangelica Veritas? (2)

Ast cum in tanta colluvie opinionum, varietate, ac pugna non raro contingat, juniores theologos in perquirenda veritate sibi derelictos a recto tramite desciscere, atque in ipso investigationis exordio ab ea longissime abduci; hinc de re tam gravi non inutilem prorsus

(1) Malach. 2. 7.
(2) Matth. 5. 13. 14.

instituere duximus sermonem, ut, quo fieri possit, lapsus periculum avertatur.

Ad vos itaque, Adolescentes optimae spei, futurum Ecclesiae nostrae decus, qui in Domini sortem jam advocati estis, ad vos orationem convertimus, vosque toto pectore hortamur, ut dum ad disciplinas theologicas animum intendere cupitis, errores adhuc in tirocinio praecavere summopere studeatis. Haec nostra sunt vota. Quae ut prospere omnino cedant, tutam vobis normam sectandam exhibemus, quam hisce verbis Paulus tradidit Apostolus ad Thessalonicenses Ep. I. Cap. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos.*

Quae verba perpendere, explanare, ac probe intelligere operae pretium heic est; cum monita contineant numero quidem pauca, sed pondere gravissima.

Haec quippe si prae oculis habeamus, si accurate scrutemur, si fideliter custodiamus, uberrimum meditationum nostrarum fructum percipiemus, Veritatis agnitionem.

Digitized by Google

Omnia probate, inquit Apostolus: tempora siquidem eheu! plurimum theologicis disciplinis infausta, quibus ad aliquid firmandum satis erat asserere: *Ita ait Philosophus*, jam praeteriere: (1) non amplius in verbo magistri jurandum est, cum e scholasticorum captivitate eductae fuerint sacrae disciplinae. Viro Theologo omnia probanda sunt, non ita sane, ut intellectus audeat arcana Dei metiri, quemadmodum incassum pertentarunt pseudo-philosophi recentiores, qui non secus ac veteres in *suis cogitationibus* turpiter *evanuerunt*. (2) Omnia probanda sunt, non quidem naturali ratione tantum duce; nam, divina Revelatione seclusa, circa notiora Ethices officia mens

(1) Vitiosum hoc philosophandi genus, quo totum auctoritati humanae, nihil rationi tribuitur, hisce verbis a Tullio reprehenditur *L.* 1. *de Nat. Deor. Cap.* 5. = Nec vero probare soleo id quod de pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos: ipse dixit: ipse autem erat Pythagoras. Tantum praejudicata opinio poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. =

(2) Ad Rom. 1. 21.

humana, utcumque perspicax, semel atque iterum deficere visa est. Conferantur hac de re Tullius in Tusculanis, de Legibus, de Finibus, Arnobius adversus Gentes, Lactantius de Falsa Philosophorum Sapientia, Eusebius in Praeparatione Evangelica; atque in comperto erit, ab ipsis universalibus atque evidentissimis morum principiis in pluribus aberasse praeclariores antiquitatis Sapientes, laudibus identidem efferendo quae vituperatione digna sunt, vel quae sunt honesta criminando.

Omnia probanda sunt; sed in re nostra rationem famulatum, non imperium habere necesse est; veritatem enim per ea media scrutari tenemur, quae theologicis disciplinis apprime conveniunt. Haec porro media ipsi sunt fontes, e quibus ea cuncta promanant, quae sive ad fidem, sive ad morum pertinent institutionem.

Quamobrem cum veritatum omnium theologicarum fons praecipuus divina sit Revelatio, ad ipsam veluti ad infallibilem, tutamque normam confugiamus

oportet: *Voce namque Domini,* inquit Clemens Alexandrinus, *Voce Domini probamus quod quaerimus, quae est magis fide digna, quam quaevis demonstratio, vel potius, quae sola est demonstratio* (1).

Si de ea Revelatione sermo sit, quae Sacris in Codicibus continetur, *utilis* haec *est*, Paulo teste, *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (2): *hanc omnis salutaris veritatis fontem, morumque disciplinae* appellant Tridentini Patres (3): In ipsa reperiri fatetur D. Augustinus *ea omnia quae mores vivendi respiciunt, praecipiendo* quippe *Scriptura Charitatem, cupiditatem culpando mores hominum informat* (4). Ad hujusmodi fontem accessere tandem quoties vel de fide vel de moribus ageretur utriusque Testa-

(1) L. 7. Stromatum.

(2) 2. Tim. 3. 16.

(3) Sess. 4. Decr. de Canonicis Scripturis.

(4) De Doctr. Chr. L. 2. C. 9. L. 3. C. 10.

Digitized by Google

menti Patres, Apostoli, ac ipse Servator Christus, qui Judaeos alloquens dixit *scrutamini Scripturas*. (1)

Quamvis ergo praejudicata ratio ex adverso refragari videatur, si per expressam Revelationem theologica enodetur controversia, Revelationi standum est: infallibili namque innixum auctoritati judicium nostrum a veritate haud unquam deflectet.

Ast ubi per expressam Revelationem definiri nequeat controversia, tum, si fieri possit, e principiis revelatis legitima demonstratione veritatem opus erit deducere. In ejusmodi conclusionum genere de errore suspicandum non est, cum ipsae in Fidei principiis veluti consectaria in antecedentibus comprehendantur, ab iis necessario profluant, atque ita cum fide colligatae sint, ut ejusdem objectum materiale constituant.

Verum non semper, non in omnibus ex Verbo Dei scripto immediate patet, vel mediate per ratiocinium dubiorum resolutio. Quocirca attendenda insuper

(1) Joan. 5. 39.

est, summaque excipienda veneratione, non a privata, non ab humana auctoritate proposita, sed divinitus recepta, sed a constanti Pastorum successione ad nos usque deducta Traditio, quae et ipsa divinam nobis exhibet Revelationem. Inhaerendum igitur unanimi Sanctorum Patrum consensui, qui divinae sunt Traditionis solertissimi custodes, fidissimi testes, quosque *Deus dedit ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii in aedificationem Corporis Christi* (1).

Fons alter aeque infallibilis auctoritatis judicium est Catholicae Ecclesiae, quae veluti *columna ac firmamentum Veritatis* habenda est, (2) sive per universum orbem dispersa, sive in Conciliis oecumenicis collecta, sive per Supremum ipsius Caput Petri Successorem de fide vel moribus quidquam decernat. Conciliorum igitur oecumenicorum Canones studiosissime consulant sacrae theologiae cultores, Epi-

(1) Ep. ad Ephes. 4. 12.
(2) 1. ad Timot. 3. 15.

stolas Romanorum Pontificum decretales obsequenter excipiant, eorumque acquiescant Oraculo ad instar Hipponensis Episcopi in causa Pelagii scribentis: *Duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt: causa finita est* (1).

Hactenus de indefectibilis auctoritatis fontibus, unde citra erroris discrimen poterit Vir theologus tum dogmaticas tum morales educere conclusiones.

Tertium doctrinae sacrae fontem Conciliorum particularium sanctiones constituunt, nec non pastorales Episcoporum epistolae, quae absque inverecundae temeritatis nota sperni non possunt. Quanti habenda sit hujusmodi Conciliorum auctoritas Nicaena Synodus 2. hisce verbis perspicue declarat: (2) *Locales Synodos.... amamus, amplectimur, recipimus: earum etiam divinitus inspiratas canonicas constitutiones, et utiles legislationes summa observantia colimus.* = De Episcopis au-

(1) D. Aug. Serm. 131. De verbis Apost.
(2) Conc. Nicaen. 2. Actione 3.

tem Martyr Ignatius haec habet: = Decet itaque vos obedire Espicopo, et in nullo illi refragari =. (1) Quin etiam nonne potissimum de Episcopis Christus ait: = *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit?* (2).

Interea tamen si ex fontibus jam enunciatis adhuc veritas non elucescat, eorum pervolvantur opera, qui de sacris disciplinis optime meriti fidei, morumque doctrinam cum laude tradidere. Hi sunt, qui Theologorum nomine veniunt, ad quorum placita saepe etiam adire consuevit ipsamet Catholica Ecclesia. Jure autem inter Theologos principem locum obtinent, quos in Caelitum album adscivit Apostolica Sedes. Primum ergo, Candidati Lectissimi, Divum Thomam consulite, cui nemo in re theologica secundus, quique superemi- nenti perfusus lumine Solis ad instar praeteritorum omnium errorum, ac futurorum etiam tenebricosas latebras mirifice detexit: auream ejus summam

(1) Ep. ad Magnesianos.
(2) Lucae 10. 16.

praesertim diurna, nocturnaque manu versate, ibique refertissimum theologicarum veritatum thesaurum reperietis. Tractatus quoque, Institutiones, Commonitoria perlegite Seraphici Doctoris Bonaventurae, Antonini, Raymundi, Francisci Salesii, Alphonsi de Ligorio, aliorumque Sanctorum, quos plane commendat maxima in rebus divinis eruditio, sincerus veritatis amor, eximia morum integritas, uno verbo, heroica in omni virtutum genere praestantia. Caeteros demum quos non perlaudare, sed enumerare tantum si nobis animo esset, longe nimis protenderetur Oratio, caeteros sectandos vobis proponimus insignes sacrarum rerum scriptores, qui rite conclusiones e fidei principiis depromunt, qui studium partium abhorrent, qui Ecclesiae vocem humiliter audiunt, qui variis ac peregrinis hominum figmentis non abducuntur.

En qua ratione doctrinam probare teneamur, nihil in re theologica prorsus admittendo, quod divinis adversetur Eloquiis, quod Ecclesiae judicio

non firmetur, quod Sanctorum, probatorumque Virorum non communiatur suffragio.

Quandoquidem, dum per auctoritatem humanam quaestio dirimenda est, interdum evenire solet, ut valde inter se dissideant graviores quoque theologi; hinc ad avertendam errandi occasionem, prudenter utrinque libratis rationum momentis, alia tum Apostoli regula servanda nobis erit: *Quod bonum est tenete.*

At ne bonum, sicuti par est, fideliter, firmiterque teneamus duo impedimenta heic possent obesse. Primum et gravius profecto foret, si eae animi dotes nobis deessent, quae apprime necessariae sunt ad veritates morales utiliter perdiscendas.

Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, (1) integer vitae, spectatisque moribus exornatus sit oportet qui sacras disciplinas excolit. Dum igitur veneranda Ethices Chri-

(1) Sap. 1. 4.

stianae penetralia ingredimur, quidquid profanum est procul abscedat: non praesumptionis tumore, non voluptatum blanditiis, non effraenatis cupiditatibus sit voluntas affecta. Hisce namque immoderatis animi motibus si ea praepediatur, mentis aciem infirmat, mentemque infirmatam de vero bono recte judicare non sinit. Cum tanta porro mortalium sit hebetudo, ut a bono facile abducamur, ad verae Bonitatis Fontem, qui Deus est, mens nostra se se convertat, atque intelligentiam fiducialiter ab Illo deposcat, *qui dat omnibus affluenter.* (1).

Impedimentum alterum, quo quis a bono amplectendo potest nonnunquam detineri, inordinatus est amor partium, unde in rebus theologicis, quamquam liberis, exoritur intolerantia; qua re nil sane deterius, nil magis sacrarum disciplinarum progressui contrarium asserere non dubitamus.

In disceptationibus ad officia christianae vitae spectantibus morum do-

(1) Jacob. 1. 5.

ctores extitere non pauci, qui, suas opiniones obtrudere ausi, eas plus aequo tutati sunt, ac pro arbitrio veluti ex tripode pronunciarunt ubi conticuit Ecclesia. Systhemata hujusmodi, quae ab eximio sextidecimi saeculi philosopho *idola theatri* scite appellantur, veritatis obstant inquisitioni, ac erroris praebent occasionem. Per haec siquidem e principiis quamquam veris absurda consectaria saepenumero deducuntur: per haec non quod rationum et vis et copia suadent, sed quod praejudicatorum hominum placitis consentit pro aris et focis defenditur: per haec tandem argumenta, qualiacumque sint, in subsidium advocantur, ut causa, pro qua juratum est, totis viribus fulciatur.

Exitialis hujusce theologici abusus exemplum de medio aevo perhibet historia. Ea per obscura saecula, cum dominatum haberet Stagyrita Philosophus, implicata Peripateticorum dogmata magis in scholis existimabantur, quam Sanctorum Patrum auctoritates;

Athenaea, Gymnasia futilium disputationum clamoribus resonantia veluti arena conflictus evaserant; catholici scriptores quin sensu literali ac proprio Divina interpraetarentur eloquia, sensus potius mysticos, figuratos, arcanos in iis adinvenire satagebant. At quorsum tandem haec omnia? Quodnam emolumentum inde nactae sunt theologicae disciplinae? Quid eis profuere captiosae verborum circumventiones? Quid imperviae distinctiones? Quid aniles quaestiones? Ex hisce profecto, ob quae tot volumina exarata fuere totque praeclara defecerunt ingenia, neque Religionis scientiam profecisse exploratum omnino est, neque utilitatem Christi fidelibus advenisse. Aspera sic dialecticae captivitate sacrae disciplinae jamdiu detentae fuere, donec effloruerint saeculo decimosexto, et sequentibus qui, inanibus concertationibus praetermissis, veritate studiose, perspicue, valide conquisita, tradita, firmata, in pristinam dignitatem, venustatemque theologicam doctrinam re-

stituere. Summopere commendantur hac de re Fischerus, Polus, Echius, Cochlaeus, Canus, Bellarminus, quibus adjicere percarum nobis est duplex hujusce patriae decus, Sadoletum, atque Cortesium; qui omnes opere simul ac scriptis adversus tum undique gliscentes novatorum errores fortiter dimicarunt (1). Haec, Candidati, Virorum, quos indicavimus, ante oculos semper habeamus, haec amodo sectemur conspicua vestigia. Quod si in rerum ambiguitate paria nobis hinc inde se se offerant rationum momenta, ne factionum partibus abripi animum nostrum patiamur, neque minus probatis hominum opinionibus improvide ac pertinaciter adhaerere: *Duo* quippe *sunt vitia inimica inventioni veritatis; praesumptio priusquam veritas pateat, et cum jam patuerit, praesumptae defensio falsitatis* (2). Inspiciendum itaque potius, quidnam propius ad divinam

(1) Videatur Andres: *Origine, Progressi, e stato attuale d' ogni letteratura.* Tom. 7. cap. 5.

(2) D. August. lib. 2. de Trin. c. 1.

Digitized by Google

revelationem accedere videatur, quid magis sanctorum Pàtrum doctrinae conforme sit, quid Ecclesiae consuetudini, ac spiritui consentaneum. Ita sane, utroque impedimento, de quo jam sumus loquuti, sollicite remoto, futurum non dubitamus, ut in judiciis ferendis per nos adamussim serventur Apostoli verba = *Quod bonum est tenete* =.

Plurimi tandem sunt, qui theologorum nomen immerito sibi attribuere conantur, in quos illud converti posset Isaiae: *Veh! qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras* (1). Horum alii, ut divini Institutoris verbis utamur, (2) *alligant onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum;* viam scilicet virtutis impervium omnino describunt, legem adeo implicant, ut ipsius custodiam arduam nimis efficiant: alii ex adverso habenas vitiis laxando, pravisque indulgendo animi motibus latam ad interitum

(1) Is. 5. 20.
(2) Matth. 23. 4.

viam aperiunt. Porro si ex postremo Pauli monito *ab omni specie mala abstinere* necesse est, duo haec rigidiorum, atque laxiorum extrema sedulo cavere tenebitur junior theologus, nam, ut ait Seraphicus Bonaventura (1), primum desperationem, alterum praesumptionem inducit. Quapropter etiam atque etiam studendum est, ut media, quo fieri possit, via incedamus. Quemadmodum enim non absque sceleris nota gravari potest *jugum*, quod ipsamet *leve*, ac *suave* pronunciat Divina Veritas, (2) item sine noxa plus aequo iter explanari nequit, quod angustum Evangelica tradunt Oracula (3).

Si ergo mali speciem atque periculum vitare velimus, id autem semper velle debemus, hujusce generis scriptores penitus a nobis despiciantur. Quod si res quandoque ferat, ut eorum operibus utendum sit, quidquid obscuritatem sapit vel novitatem, quidquid

(1) Compend. Theol.
(2) Matth. 11. 30.
(3) Ibid. 7. 14.

Digitized by Google

a doctrina alienum apparet, quam Catholica recipit Ecclesia, omnino rejiciatur. Quae porro cautio magis magisque adhibenda erit, si de iis scriptoribus loquamur, qui per schisma, vel haeresim Ecclesiae Christi unitatem aut fidem abdicarunt. Verum quidem est inter hosce quamplures reperiri, qui affabre nonnullas inlustrarunt veritates, in quibus cum catholicis sentiunt. Ita prae caeteris commendatur Anglus Ditton, qui Christianae Religionis veritatem per ejus divini Institutoris miram resurrectionem adversus incredulos veluti mathematice demonstrat; ita Samuel Clarkius, qui, duce ratione, Supremi Numinis invicte comprobat existentiam, ejusque attributa; ita Guilelmus Derham, qui triumphum agit in atheismum ex operibus creatis; ita demum Eulerus, Binghamus, Basnagius, Buddeus, qui de revelatione, de antiquitatibus ecclesiasticis, de ecclesiastica historia, de sacra theologia in lucem optima prodiere. At quoniam prava imbuti fide in pluribus novatores a

catholicis dissentiunt, saepe minus probanda in eorum operibus adinveniuntur principia, saepe sub mele venenum latitat, anguis sub herba. Semper igitur suspecti habeantur eterodoxi scriptores, et quamvis per veniam apostolicam impune consuli possint, in eorum tamen consultatione caute procedamus oportet, ne lethali veneno inficiamur boni specie decepti.

Verum ad unguem ut serventur Apostoli verba, *ab omni specie mala abstinete vos,* alterum quoque scopulum in theologicis exercitationibus evitare curabimus, jurgia videlicet, contumelias, irrisiones, cui scopulo impegisse non paucos, experientia docet. Hac in probrosa disserendi ratione non modo speciem mali apparere, sed malum revera consistere ex eo luculenter patescit, quod qui divinis in rebus veritatem assequi, vel aliis probare enituntur non litigiosos, sed mites moderatosque seipsos exhibere necesse est: (1) *Christi* enim *exemplo... qui tantum*

(1) 1. Timot. 3. 3.

abfuit ut ultro maledixerit, ut etiam maledicenti non minaretur, sumus ita affecti oportet, ut nec inferre injuriam velimus, nec si acceperimus referre. Haec Cortesii jam perlaudati aurea sunt verba *de Itinere rom. D. Petri,* qui eodem loco ad rem nostram sic pergit: = Si sanctissimos, doctissimosque viros enumerare velim, qui cum adversus apertos fidei hostes scriberent a christiana tamen modestia non recesserunt; illis, opinor, mirum videbitur, qui remotis jurgiis et obtrectationibus, ipsum verum nec satis recte inquiri, nec facile inveniri posse arbitrantur. Scribunt Origenes in Celsum; Eusebius in Porphyrium; Basilius, Nazianzenus in Julianum... At quos hostes, quam acres, quam impios, bone Deus! Arguunt illi quidem insaniam, furorem opposita ratione veluti quibusdam catenis injectis compescere nituntur, hostem denique appellant, ea tamen ratione, ut non stomacho indulgere, sed pietatis rationem habere videantur. Nec tamen adversus eos scribebant, qui di-

verso sensu atque caeteri quippiam in sacris literis interpraetarentur, aut qui divinos libros impietati suae patrocinari vellent, sed eos qui tamquam furiis exagitati, aris, templis, universaeque reipublicae christianae bellum indixerant.... Sic Basilii frater Gregorius in Apollinarium, in Eunomium, in Manichaeum; Tertullianus adversus Valentinianum, et omnes haereses; Augustinus in Manichaeos, in Donatistas, in Eutychen Leo; adversus alios alii..... Sciebant enim, facile pro maledictis maledicta referri, sed ratione pugnare id vero longe esse difficillimum = (1). En quibus armis pugnaverint veteres Apologistae pro fidei causa vindicanda: quos ut laudabiliter imitemur, tam absurdo tam criminoso contentionum generi aditum percludamus.

In divinis itaque disputationibus sedate a viro theologo disserendum est,

(1) Greg. Cort. parte 1. Oper. Edit. Pat. l. 1. pag. 219. tract. de itin. rom. D. Petri ab eo conscripto adversus Udalricum Velenium Lutheri gregalem.

non furendum, non debacchandum. Secus qui ageret, grave etiam vulnus inferret Religioni; nam quo atrocius injuriis feriuntur ipsius adversarii, quin Ecclesiae concilientur, veritati, quamvis perspectae, eo acrius obsistunt. Maximum quoque theologicarum disciplinarum detrimentum inde consequitur, cum earum dignitas pene vilescat, si pro argumentorum gravitate ac firmitate, quibus pertractandae sunt, adhibeantur convicia.

Cuncta haec, quae de Pauli Apostoli monitis hactenus pro munere nostro tradidimus, cuncta ad profectum vestrum, Juvenes studiosi, jam in ipso institutionum nostrarum limine nobis edisserenda constitueramus. Unum hoc restat, ut veneranda hujusmodi monita probe teneatis, aliisque suadere nitamini: haec haud unquam a mente vestra recedant, nec recedant a corde, ne *sitis velut parvuli fluctuantes et circumferamini omni vento doctrinae* (1)

Cum interim sui metam nostra jam

(1) Ephes. 4. 14.

jam attingat oratio, ad eorum, quae diximus coronidem nobis adhuc superest, Lectissimi sacrarum disciplinarum Cultores, ut hasce, qualescumque futurae sint, lucubrationes vobis offeramus, hoc uno contenti, quod primum in majorem Dei Optimi Maximi gloriam, deinde in vestram cedant utilitatem. Quidquid porro in nostris institutionibus erimus tradituri, ne existimetis fortasse, ad vos undequaque perficiendos id plane sufficere. Nil aliud haec sunt, quam aedis in posterum extruendae fundamenta praejacienda. Itaque cum prope infinita sit rerum addiscendarum copia, atque varietas; cumque longaevior aetas impar sit ad omnes sacrarum disciplinarum recessus penitus introspiciendos, haec, quae pertractanda a nobis erunt, non secus ac exordia spectate eorum, quae amodo vobis perscrutanda manebunt ? Hinc studia vestra nec moram, nec finem patiantur; arbores enim, quae ramos vere protendunt, ac foliis, floribusque ornantur, quid sodes prodessent, si po-

Digitized by Google

stero tempore uberes fructus non ederent? Agite ergo: auspicatissimum hoc sit primordium et incrementi et gloriae, quam sacrae disciplinae a vobis expectare videntur.

Hisce omnibus paraenetica oratione satis superque absoluta, institutoris muneri jam functos fuisse arbitramur: reliquum nunc est, ut catholici quoque scriptoris partes agamus. Quocirca, si quod absit, emendandum aliquid in institutionibus nostris fortasse prodiret, praeter animum id nobis irrepsisse sibi suadeant Lectores. Sciant vero susceptum opus nos obsequenter irrefragabili subjicere Apostolicae Sedis judicio, in qua, ut concludamus cum oecumenica Synodo octava, *immaculata est semper reservata Religio, et sancta celebrata Doctrina.* (1).

(1) Concil. Constantin. 4. Actione 2.ª

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENON

IN ETHICES CHRISTIANAE INSTITUTIONES

Cum primum disciplina quaelibet sive divina sive humana pertractanda suscipitur, congruum semper omnibus visum est ejusdem in antecessu notionem accurate tradere, atque perspicue naturam explanare, ut optime noscat jam ab exordio intellectus, quale subjectum meditationibus ejus proponatur. Ita sane recta ratio nos edocet, ita rerum dicendarum ordo requirit: in primis enim mens addiscentis imbuatur oportet veritatibus generalibus, unde caetera proficiscuntur, ut pedetentim a notioribus ad remotiora progrediatur. Qua de re, quoniam operis cujusque titulum vix legenti primo postulandum occurrit, quid rei sit, de qua tractatio instituitur, jam huic instantiae brevi satisfacimus definitionem Ethices Christianae per hujusmodi verba exhibentes:

= Disciplina illa praestantissima, quae praesertim ex principiis divinitus revelatis viam, et rationem tradit, quibus humanae perficiantur actiones, ac dirigantur ad finem ultimum, hoc est ad aeternam beatitatem assequendam, Ethice christiana communi theologorum suffragio nuncupari solet. = Qualia sint hujusce disciplinae *objectum*, *fundamenta*, *munus* et *finis* ex allata mox definitione consequitur. Humanae quippe actiones objectum constituunt, circa quod versantur Ethices christianae institutiones: praecipua ejusdem fundamenta in divina continentur revelatione, quae tamen, uti in paraenesi dictum est, fontes secundarios non excludit: munus est actiones corrigere, honestare, atque in finem deducere: finis tandem duplex statuitur; eo namque christianae moralis cuncta referuntur officia, ut homo seipsum perficiendo, caeteros diligendo, Summum Bonum colendo vitam recte traducat, ac per vitae sanctimoniam futura, in qua vera felicitas sita est, immortalitate fruatur.

Quae cum ita sint, ecquis hominum tam vecors, tam ignavus effingi potest, qui tantae disciplinae venustate, dignitate, praestantia non adficiatur? Profecto, si rerum praecellentia ex utilitate potissimum ac necessitate aequum est dimetiri, divinis prope

laudibus efferendam esse quis neget Ethicem christianam, qua, cum ad virtutem, veramque felicitatem perducatur homo, nil utile magis, ac necessarium existere, aut excogitari posse videtur? Verum non diffitemur, plura cum morali philosophia disciplinam hanc habere communia, nullamque hujusce fere partem adesse, quae non parum ab ea nanciscatur muniminis, atque adjumenti.

At nihilosecius cavendum est, ne invicem una cum altera confundatur: etsi namque in eo ambae conveniant, ut ad honestatem dirigant hominis mores, ejusque felicitatem intendant, reapse tamen adeo differunt inter se, ut Ethica christiana veluti domina habenda sit, eique moralis ancilletur philosophia. Tanti discriminis plura capita fore, cuique jam satis liquet utriusque fundamenta, finem, effectus insimul comparanti.

In primis enim si mentem ad principia convertamus, quibus moralis fundatur philosophia, haec quidem firma aeque ac indefectibilia fatemur, cum sint eadem juris naturae prima ac generalia praecepta: attamen divinae auctoritati non innititur haec morum disciplina, neque a fontibus revelatis, sed ab infirmo rationis lumine veritates educit. Item non finem supernaturalem homini proponit, non finem ultimum, non sempiternum illud regnum, in quo *mors ultra*

non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, (1) sed naturalem conquirit felicitatem hujusce vitae ambitu conclusam. Si tandem effectus conspiciantur, impar omnino ea dici potest ad hominem perficiendum, quia, uti Lactantius ait, *nec instruit ad justitiae munera, nec officium hominis, rationemque confirmat.* (2)

Experientiam si consulere libeat, amplum de hac naturalis philosophiae insufficientia praebet argumentum antiqua eorum historia, qui, cum in scientia morum versati maxime forent philosophorum nomen sibi vindicarunt. *Hi enim dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt.... commutaverunt veritatem Dei in mendacium,* (3) adeo ut se ipsos, caeterosque plurimos turpissimis erroribus, ac moribus infecerint, macularint.

Ex pluribus, quae de variis sectis heic possent afferri, pauca veluti ad specimen seligamus. De Summo Bono, uti de re maximi momenti valde disputarunt Ethnici Philosophi: at quaenam, quotque commenta ab iis invecta fuere? Alii cum Aristippo (4)

(1) Apoc. 21. 4.

(2) Instit. divin. l. 3. de falsa Sap. philosoph. Cap. 13.

(3) Ep. ad rom. 1. 22. 25.

(4) De Aristippo vide Athenaeum l. 12. Epiphanium l. 3. adversus haereses. Lactantium l. 3. divinar. Instit. De falsa Sap. philosophorum Cap. 7.

in voluptatibus corporeis illud constituere non erubuerunt; alii in animi voluptate fore cum Epicuro (1) sunt arbitrati. Zeno (2) Summum Bonum asseruit in vitae congruentia cum natura; Stoici, ac ipse Cicero (3) in virtute; Peripatetici (4) in bonis simul animi, corporis, atque fortunae. Si vero ad alia controversiarum genera transeamus, nonne voluntariam mortem suaserunt Pytagorici (5) cum Stoicis, ac romanae sapientiae principe Catone? Post Socratem nonne Academici docuere *nihil percipi posse?* (6) Quid porro de eodem Socrate dicamus, qui, quamvis aliis prudentior, in multis erravit et ipse? Si Hieronymo et Lactantio fides habeatur, (7) ejus effatum celebre fuit = *Quod supra nos nihil ad nos.* Quid de Platone, (8) qui de Republica, cum omnia omnibus com-

(1) De Epicuro vide Laertium in Epic. Tullium l. 1. de finibus. Senecam de vita beata.

(2) De Zenone vide Laert. de Zen. Cit. Cicer. l. 4. de finib.

(3) De Stoicis vide Lactant. loc. cit. Cicer. l. 5. Tuscul. l. 1. de leg. l. 4. et 5. de finib.

(4) De Peripateticis vide Aristotelem l. 1. moralium C. 8. Cicer. l. 4. de finib.

(5) De Pytagoricis vide Lact. loc. cit. Cap. 18.

(6) De Academicis vide Cicer. 1. Academic. quaest.

(7) De Socrate vide Hieron. apolog. advers. Rufinum. Lactant. loc. citat. Cap. 20.

(8) De Platone vide Aristot. l. 2. de repub., Eusebium praepar. evangel. l. 13. Cap. 12. D. Epiphanium l. 3. advers. haeres. D. Chrysostomum Hom. 1. in Mat. Lact. eod. loc. Cap. 21. 22.

munia esse debere affirmaret, non excepto conjugio, hominem pecudibus aequavit, virtutem sustulit castitatis, fidemque nuptialem abrogavit? Quid de Aristotele, (1) quem in pluribus a se ipso dissidere Minucius Felix ostendit? Quid demum de Carneade (2) qui nullum virtutem inter ac vitium discrimen agnoscens exitiale dogma praedicavit, quod et recentioribus permultis arrisit, *sola nempe utilitas justi mater et aequi?* (3)

Neque minus quam veteres in moralibus desipuisse constat recentiores philosophos revelatione posthabita. Eo namque pervenit rationis abusus in plurimis posterioris aevi scriptoribus, qui de philosophiae gloriantur restauratione, ut ipsae rerum notiones et nomina in eorum operibus omnino pervertantur; ut divinarum, humanarumque legum contemnatur auctoritas; ut communia quoque naturae labefactentur principia. In tanta hujusmodi pseudo-philosophorum copia, cum persequi omnes satis nobis otii non sit, Hobbesium, (4) Spinosam, (5) Helvetium (6)

(1) De Aristotele vide Octav. Minuc. Felic. apud Arnobium disputat. adversus gentes.

(2) De Carneade vide Lact. lib. 5. Div. Inst. de Justitia Cap. 15.

(3) Horat. lib. 1. Sat. 3.

(4) De Cive.

(5) Tract. theolog. polit.

(6) De Spiritu.

Puffendorphium, (1) Coccejum (2) percensere sufficiat. Horum dogmata si consulamus, omnes uno ore conveniunt in lege aeterna eliminanda, nihil suapte natura honestum fore aut turpe contendunt, totamque actionum aequitatem vel injustitiam ab extrinseco deducunt, hoc est a lege civili, a libero nutu imperantis. Proh! miranda plane philosophiae naturalis portenta, quae funditus evertunt universam morum disciplinam.

Fatemur equidem, plures, licet in pluribus defecerint, in multis tamen ad veritatem accessisse. At, divina auctoritate seclusa, quidnam ponderis habent moralia philosophorum praecepta? Cum varia, imo pugnantia saepe fuerint prolata, dubitandum erit, utrumne vera sint, vel falsa, ideo nec certa erunt, nec tuta. Ecquis autem hominum talibus parere maluerit praeceptis, quam uti libertatis arbitrio? Praeterea quamquam plura vera invenerit philosophia naturalis, ubinam apud cujusque aetatis vel sectae philosophos reperiuntur morum principia, quae ab Evangelio depromit Ethica Christiana? Ubi caelibatus praestantia commendatur? Ubi fortitudo, quae reluctantibus cupiditatibus acre bellum indicit? Ubi ea caritas, qua omnibus omnia factus ediscit homo

(1) De Jure nat. et gent.
(2) Dissert. 1. proemiali ad Grotium.

lugere cum lugentibus, egeno superflua tribuere, inimicum diligere, pro persequente depraecari? Quamvis igitur in philosophiae studio aetatem conteruerint, qui vulgo dicuntur sapientes eo fine, ut felicitatis viam aperirent; hoc unum eorum laboribus comprobarunt, rationem scilicet naturalem sibi relictam ad hominem perficiendum non valere.

Verum, quod tota antiquorum ac recentiorum philosophia praestare non potuit, id solum efficit Doctrina Caelestis, quae divina illustratur revelatione: Dei siquidem praecepta, numero licet pauca, hominem penitus immutant, ejusque renovatio perficitur ope gratiae, quae nec studio, nec mercede comparatur. Perbelle hoc idem argumentum exornat dissertissimus Lactantius, qui postquam infirmitatem humanae philosophiae asseruerit, ei vim et efficaciam christianae moralis hisce verbis opponit: = Dei autem praecepta quia et simplicia, et vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effraenatus; paucissimis Dei verbis

Tam placidum, quam ovem, reddam (1).

Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi

(1) Ex Terentii Adelphis Act. 4. sc. 1.

liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: jam cruces, et ignes, et taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem: continuo et aequus, et prudens, et innocens erit. Uno enim lavacro omnis malitia aboletur. Tanta divinae sapientiae vis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat (1) =. Ex hisce, quae hactenus edisseruimus jam luculenter apparet a philosophia naturali toto coelo distare christianam morum disciplinam, utriusque fundamentis, fine, ac effectibus consideratis. Quibus in praesentiarum nil ultra addendum censemus, ut plena de ejusdem utilitate, necessitate, praestantia habeatur, numerisque omnibus absoluta commendatio.

Antequam vero disciplinae pertractandae limina conscendamus, aequum omnino est, ut studiosis lectoribus institutionum nostrarum methodus apprime innotescat.

Quatuor in libros eas distributas volumus:

(1) Lact. Firm. Instit. divin. l. 3. De falsa sapientia Philosophor. Cap. 26. Edit. paris t. 1. pag. 259.

atque in immensa prope rerum congerie, quae nobis offertur, operam dabimus, ut singulae institutionum partes mutuo nexu, quo fieri possit, inter se devinciantur, ut aliae aliis opportune succedant. Ita plane futurum confidimus, ut neque lucidus ordo desideretur, neque rerum delectus.

Et quoniam opus est in primis objectum dignoscere, circa quod versatur scientia, quae traditur, in primo libro disserere constituimus de actibus humanis, tum quatenus ab homine rationali procedunt, tum quatenus vel ab objecto vel ab extrinsecis adjunctis moralitatem adquirunt.

Porro de moralitate actuum humanorum rectum haud unquam ferri poterit judicium, nisi prius normae perspectae sint, quibus eosdem conformari necesse est, turpe vero adversari: hinc quaenam sint hujusmodi normae in secundo libro sedulo perquirendum.

Cognita jam ex praemissis duplici regula morum, lege scilicet, atque conscientia, ei comparari poterunt actiones humanae: qua comparatione instituta, si convenientia vel pugna regulam inter et actum appareat, facile tum erit in libro tertio virtutem a vitio rite discernere.

Verum tanta est humani generis in malum propensio, ut non modo possibilis sit, sed ut plurimum contingat humanarum a-

ctionum a regulis morum aberratio. Inquirendum itaque superest, an et quae media supernaturalia misericors humanae naturae Creator ac Restaurator Deus ad lapsum vel impediendum vel reparandum concesserit? Quae media cum sint novae Legis Sacramenta, de hisce in postremo libro sermonem habere operae pretium erit.

En, candidati Lectores, institutionum Ethices Christianae summatim vobis delineata contextio.

Interim querelam in nos audire arbitramur: neque dubitamus supercilium attollere quempiam, atque ad nostrarum elucubrationum censuram sic prosilire. Librorum copia, qui de moralibus rebus agunt, adeo in immensum excrevit, ut eos imminuere prodesset magis theologicis disciplinis, quam augere. Jam plus aequo in hoc genere conscriptum est. Solem igitur, admota face, inlustrare contendit, ramusculum refert in sylvam institutionum auctor. Nova cum nequeat proferre, nonnisi vetera, quae antea et a multis repetita fuere, quaeque lippis simul ac tonsoribus jam perspicua sunt in lucem denuo prodibit. Ita sane utilitatem nec minimam pariet ejus opus, neque plagii notam evadet.

At nos, qui ad rixas prurientem animum natura comparatum non habemus, qui juxta

Divi Augustini monitum (1) sine superbia de veritate praesumimus, qui sine saevitia pro veritate certare conamur, ultro quidem concedimus doctos pariter, atque indoctos de rebus moralibus nimium quantum conscripsisse: concedimus, ad sacram morum doctrinam referri posse, quod de divina Scriptura ajebat Hieronymus: *hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant* (2). Quid vero inde? Ergo vel non scribendum, vel nova adinvenienda? Verum, bona objicientis venia, neutram consectarii partem admittimus. Etenim pro quibus nostras exaravimus institutiones? Pro sapientibus? Absit. Si de iis ageretur, non scribere, sed silere praestaret. Pro adolescentibus scribimus, qui rerum theologicarum penitus ignari mox ad vestibulum sacrarum disciplinarum sunt accessuri: scribimus pro junioribus theologis, quibus vel praesto non sunt opera pervolvenda, vel etiam si forent, attentis opinionum varietatibus, dubietates parerent, confusionem inducerent: pro auditoribus nostris potissimum scribimus, quos ex munere in Ethices christianae elementis instituere tenemur. Cum igitur nobis unice in animo fuerit non peritorum curiositatem explere, sed imperitorum utilitati consulere,

(1) Lib. 1. contra litteras Petiliani Cap. 29.
(2) Ep. ad Paulinum.

laborem nostrum ex hoc capite veluti supervacaneum arguendum non esse putamus. Unde Plautina verba jure nobis tribuere liceat.

Non videor meruisse laudem,
Culpa caruisse arbitror. (1)

Neque vero quid novum in institutionibus nostris expectandum erit. Nova perquirant ubique Physicus, Mathematicus, Criticus, Historicus; veritates adhuc arcanas explorare, asserere, probare nitantur. In naturalibus disciplinis, quae, inviolata fide, incrementum in dies obtinere valent, id non modo fas est, immo vero gloriosum. At contra in rebus theologicis nova procudere, ab antiquitate recedere non laudabile quidem, sed turpissimum semper et ubique retentum est; cum etenim sacrarum disciplinarum principia a divina procedant Revelatione, eadem semper sunt, nec eorum quidquam augere aut imminuere licet. Profecto si profanas vocum novitates Timotheo devitandas praecipit Apostolus Paulus, quo magis a rerum novitatibus abstinendum? Quamquam igitur non nova in hoc opere tradantur, non dedignentur audire lectores, quid pro re nostra Divus proferat Augustinus: (2) *Utile est,* inquit ille, *plures* a

(1) Plaut. in Trinummo.
(2) L. 1. de Trinit. C. 2.

pluribus fieri (libros) *diverso stylo, non diversa fide, etiam de quaestionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic:* Si tandem hujus rei causa furti quis insimulare nos vellet, jam ad partem nostram tutandam insurgit, atque a plagii labe nos vindicat, qui per antonomasiam *moralis* appellatur *Philosophus*, dicens: (1) *Veneror inventa sapientiae, inventoresque: adire etiam illa, tamquam multorum haereditatem juvat... Etiamsi omnia a veteribus inventa sunt; hoc semper novum erit, usus et inventorum ab aliis scientia, et dispositio.*

(1) Saenec. Ep. 64.

ETHICES CHRISTIANAE

INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS.

§. I.

Duplici substantia cum omnes homines constent, quarum altera ceteris quoque animantibus communis est, altera Summo Deo nos similes efficit, duplex item actuum genus humanae liquet competere naturae, quatenus homo et animal est et ens rationale. Ad primum genus attinent actus mere naturales ac necessarii, cujusmodi sunt respiratio, circulatio sanguinis et humorum, aliaque similia, quae *actus hominis* appellari solent. Ad hosce referuntur etiam actus, qui, quamvis necessarii non sint, ab homine tamen fiunt praeter animi advertentiam, praeter rationis consilium, praeter voluntatis optionem, sicuti in dormientibus, in amentibus, in infantibus contingit. Aliud eo-

rum actuum genus est, qui *humani* ideo nuncupantur, quod non brutis, sed homini dumtaxat ratione sibi propria, hoc est cum advertentia simul ac deliberatione operanti conveniunt. Tanto discrimine actus hominis inter et actus humanos praenotato, quoniam, prioribus praetermissis, de posterioribus tantum sermonem instituere nostri muneris est, ab ipsa definitione, quam passim philosophi aeque ac theologi omnes recipiunt, eorum naturam accurate perquiramus. Actus humanus dicitur: *quidquid a voluntate deliberata procedit.* Traditam definitionem probat Angelicus Doctor 1. 2. Quaest. 1. Art. 1; eamque dilucide hisce verbis explanat: = Dicendum, quod actionum, quae ab homine aguntur illae solae dicuntur humanae, quae sunt propriae hominis in quantum homo est. Differt autem homo ab aliis irrationabilibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illae solae actiones vocantur proprie humanae, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem, et voluntatem: unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illae ergo actiones proprie humanae dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt = Hactenus de notione actus humani juxta Divi Thomae doctrinam. Interim animadvertimus

dupliciter actum humanum a theologis considerari; nempe, uti scholastici ajunt, vel *in genere naturae, et secundum physicam seu naturalem ejus entitatem,* prouti a causa libera descendit, vel *in genere morum* utpote qui eorum regulis comparatus iisdem congruendo aut repugnando moralitatem adquirit. Opportuna nobis hac distinctione retenta, jam sponte fluit hujusce libri partitio, quem ideo bifariam dividentes ad primam partem actutum properamus.

PARS PRIOR

DE ACTIBUS HUMANIS IN EORUM ENTITATE PHYSICA PERSPECTIS.

§. II.

Actus ut dicatur humanus, a voluntate deliberata procedat oportet (ex §. I. antec.) Duo ergo sunt necessaria humanarum actionum principia, *voluntarium* scilicet, ac *liberum.* Verum plura et saepe quidem voluntarie ac libere operanti adversari possunt obstacula, ad quae pro viribus removenda, quot, qualiaque ea sint, et quomodo facultates hominis impediant, rite dignoscere necesse est. Quocirca res omnino postulare videtur, ut ea cuncta, quae pars prima complectitur, ad tria capita referantur, in

quorum primo voluntarium in genere spectabimus, in altero de voluntario libero disseremus, in postremo impedimenta enumerabimus, per quae auferri potest, vel minui voluntarium. Esto itaque

CAPUT PRIMUM

DE VOLUNTARIO GENERATIM.

§. III.

Voluntarium ab Almaino parisiensi doctore in suis moralibus Cap. 11. dicitur: *quod, positis omnibus ad agendum requisitis, ab homine fieri potest vel omitti:* Huic tamen definitioni nobis suffragari non licet; cum etenim in ea voluntarium adseratur quidquid fieri vel omitti potest, libero sane eadem convenit, non omni voluntario generatim sumpto: ad voluntarium quippe non modo liberum, sed et spontaneum pertinet, atque in ipso, quemadmodum in suo genere singulae species, utrumque continetur. Magis autem ex eo definitionis apparet defectus, quod, hac admissa, inferendum esset, beatos Deum non diligere voluntario, cum ita diligant, ut a divino amore abstinere non possint (1).

(1) Praeter notatum, alii plures et longe graviores in Almaini operibus errores prodiere. Neque id mirum: suum namque ea-

§. IV.

Merito igitur definitione scriptoris parisiensis rejecta, doctrinae potius adhaerendum erit D. Bonaventurae, ac D. Thomae, qui una cum caeteris theologis voluntarii nomine intelligunt: *quod procedit a principio interno operante, praevia cognitione eorum, in quibus est actio* (1). Ut ex allata definitione voluntarii natura penitus conspiciatur, animadvertere juvat, voluntarium vel positive per actionem, vel negative etiam per ejus omissionem ab interno procedere principio, a voluntate nimirum, quae est principium actus efficiens intrinsecum operanti. Cognitio autem singulorum, in quibus est actio ad voluntarium insuper omnino requiritur juxta vulgatum illud: *Nil volitum, quin praecognitum.* Etsi enim actus

lamum is mercede tradiderat Ludovico XII, ejusque obsequio et imperio cum Julio II. Romano Pontifici adversaretur, Apostolicae quoque Sedis auctoritati se se infensum exhibuit.

(1) Eadem ferme ratione in Lib. 3. Ethicor: Cap. 1. voluntarium appellat Aristoteles - id, cujus principium est in agente cognoscente singula - . Philosopho stagyritae hisce consentit verbis D. Bonaventura in Lib. 2. Sentent: Distinct 22. Quaest. 3. - Duo sunt de ratione voluntarii, videlicet cognitio singularium, sive circumstantiarum, et quod operationis principium sit intrinsecum -. Idipsum probat Angelicus, qui 1. 2. quaest. 6. Art. 1. ait: - Voluntarium dicitur esse secundum definitionem Aristotelis, Gregorii Nysseni, et Damasceni non solum cujus principium est intra, sed cum additione scientiae. -

humanus a voluntate determinetur, nihilominus a praelucente ratione adeo voluntatis inclinatio deducitur, ut jure dici possit, cognitionem veluti principium efficiens ad actionem concurrere. Talis est agendi modus appetitui rationali tantum conveniens. Quapropter voluntarius dici nequit lapidis descensus, qui licet a principio intrinseco sequatur, nempe a vi gravitatis, cum cognitione tamen nunquam sane contingit. Hujusmodi porro noscens principium ad objectum potissimum refertur, circa quod actio versatur, ad finem, in quem ipsa dirigitur, ad extrinseca adjuncta, quae actionem antecedunt, comitantur, vel subsequuntur.

§. V.

Plures voluntarium species sub se comprehendit, quae ad sequentia capita praesertim revocari possunt. Primum itaque voluntarium vel *liberum* est, vel *necessarium*. Illud competit potentiae, cui, positis omnibus ad agendum requisitis, proprium est actionem pro lubitu ponere, vel omittere: per hoc animus quidem interna propensione sponte movetur, sed ad unum necessario determinatur. Duplex hujusce necessitatis agnoscitur causa; ea siquidem aut ex perfectione oritur objecti potentiam plene adaequantis ac pertrahentis voluntatem, aut ex naturali

potentiae imperfectione. Prioris necessitatis exemplum in amore habetur, quo Sancti in Coelis regnantes Summum et incommutabile Bonum prosequuntur; ad alteram spectat ea voluntarii species, quae in brutis quoque reperitur. Dividitur praeterea voluntarium in *actuale, virtuale, et habituale.* Actuale dicitur, si quis operetur advertens ad id, quod agit: virtuale, si praecesserit opus voluntatis determinatio, atque adhuc virtualiter perseveret, cum neque retractata fuerit, neque moraliter interrupta: habituale demum, potius quam voluntarium, appellabitur dispositio exorta vi actuum antecedentium, qui quamvis positive retractati non fuerint, per moralem tamen interruptionem nec per se nec virtualiter influunt in actionem. Rursus voluntarium *perfectum* esse potest, si in eo plena intellectus cognitio voluntatisque deliberatio juxta concurrant: quod si alterutrum saltem ex parte desit, voluntarium *imperfectum* erit. Maximi momenti in moralibus est praesens distinctio dum agitur de humanorum actuum pravitate decernenda; nam saepe contingit, plura, quae ratione materiae lethalia forent, a gravi noxa ob voluntarium imperfectum, scilicet ob sufficientis cognitionis, aut pleni consensus defectum excusari. Voluntarium quoque *expressum* vocatur, si verbis aut


BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

signis pateat: tacitum, si attentis circumstantiis, ex aliquo facto vel facti omissione deducatur. Cum autem de voluntario tacito opportunum heic incidat sermo, silentio praetereunda non est vulgatissima ea juris regula: *Qui tacet consentire videtur,* (1) quae, etiamsi interdum vera sit, pluribus exceptionibus subjicitur. Tria igitur hac in re adnotanda veniunt. 1.° Tacens consentire videtur, cum negare et contradicere sibi plurimum interesset: quapropter si quis de scelere patrato juridice interrogatus fuerit, tacendo fateri censetur. 2.° Tacens assentiri praesumitur, si res in ejus commodum ac favorem cedat; secus si noxia sit vel molesta. 3.° Tum locum nunquam habet regula praecedens, cum consensus expressus a jure exquiratur; generatim enim silentium per se neque assensum, neque dissensum significat, prouti eruitur ex alia regula juris *tacens nec fatetur, sed nec utique negare videtur* (2). Verum prae ceteris voluntarii *directi* atque *indirecti* plurimi habenda est divisio. Si voluntas in aliquid directe feratur, illudque velit positive, actio erit directe, seu *immediate, formaliter,* ac *in se* voluntaria. Si vero actus directe ac positive non eliciatur, sed natura sua, vel ob aliquam accedentem cir-

(1) Regula 43. in sexto.
(2) Reg. 44. juris in sexto.

cumstantiam ab actione praecedenti voluntario posita, veluti effectus a causa, physice aut moraliter consequatur, tum actus ille voluntarius *indirecte, mediate, interpretative* et *in causa* nuncupari solet (1). Utriusque voluntarii specimen habemus in filiis Heli sacerdotis, qui, patre sciente, nec impediente, populum a sacrificiis retrahebant. Peccatum hocce, quod lib. 1. Regum Cap. 2. *grande nimis* appellatur, in iis directe, in patre indirecte voluntarium fuit (2). Tria ad voluntarium indirectum constituendum concurrere debent. Opus enim est 1.° ut agens effectum a causa secuturum praevideat, vel praevidere possit ac debeat. 2.° Ut causam omittere possit. 3.° Ut eam omittere teneatur, ne malus consequatur effectus. Tribus hisce principiis ad casus morales prudenti judicio applicatis, innumera prorsus dubia resolventur, quae circa voluntarium indirectum facile proponi possunt.

(1) Ad hanc voluntarii speciem referuntur duo jam cuique nota dialecticorum axiomata — Qui est causa causae est causa causati — Qui vult antecedens, vult et consequens cum illo connexum —.

(2) De hac duplici voluntarii specie ita loquitur D. Thomas 1. 2. Quaest. 6. art. 3. ad 1. — Voluntarium dicitur non solum quod procedit a voluntate directe, sicuti ab agente, sed etiam quod est ab ea indirecte, sicuti a non agente —. Paulo autem superius citato loco primam voluntarii speciem comparat S. Doctor calefactioni, quae calori tribuitur, alteram submersioni navis, quae navitae imputatur, quatenus a regimine desistit. Ex-

CAPUT SECUNDUM

DE VOLUNTARIO LIBERO SPECIATIM.

§. VI.

Humanorum actuum essentiam *voluntario* non modo constare diximus (§. II.) sed ea potissimum voluntarii specie, quae *liberum arbitrium, seu libertas* ubique gentium appellatur. Principium hujusmodi adeo rationali naturae intrinsecum est, ut praestantissimum libertatis donum si nobis Omnipotens rerum Sator elargitus non foret, homo profecto non absimilis esset jumentis insipientibus, quibus non est intellectus (1). Ea facultate sublata, jam cuncta funditus everterentur moralis philosophiae dogmata; quin etiam religio quaelibet de medio tolleretur (2). Neminem ergo latet, quanti ponderis sit argumentum, circa quod tractatio praesens versatur. Quamobrem de volunta-

inde porro ne inferatur a voluntario indirecto actum positivum excludi. Nam si medicus e. c. farmacum venenosum ax imperitia, aut inadvertentia praebeat aegroto ejus valetudinem intendens, mors inde secuta, quae medico uti indirecte volita imputatur, ab actu positivo procedit.

(1) — Necesse est, (ait D. Thomas parte 1. Quaast. 3. art. 3.) quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso quod rationalis ast. —

(2) Hanc veritatem asserit atque ostendit cit. doctor Quaest. 6. da malo art. unico; immo eandem vel invitus fatetur Helvetius ipse calebris materialistarum antesignanus in opere, cui titulus — L'Esprit discours 2. Chap. 24.

rio libero paullo fusius sermonem protendere, eumque ad rerum dicendarum ordinem servandum, ad confusionem praecavendam per quatuor sequentes articulos absolvere curabimus:

ARTICULUS PRIMUS

Notio voluntarii liberi statuitur, ejusque variae species indicantur juxta philosophorum principia.

§. VII.

Eterodoxi non desunt scriptores, qui summis praeconiis libertatem extollant, eamque humano generi plane fateantur necessario competere: at ubi definiendum est, in quo sita sit haec facultas, suam quisque obtrudere nititur sententiam. Hinc obscurae, hinc variae, hinc vel suspectae, vel absurdae quoque opiniones, quae libertatem aut circumscribunt, aut penitus extinguunt: in hoc enim conspirare videntur hujusce furfuris scriptores, ut adstruant libertatem a coactione, libertatem vero a necessitate eliminare conentur (1). Nos tamen, qui e purioribus

(1) Post Leibnitium in horum numerum praesertim recenseantur Lockius — Essai philosophique —, Jacquelotius — De l'existence de Dieu —, Wolfius — Psychologia empyrica —, et Baumeisterus — Pneumatologia —.

sacrae theologiae fontibus veritatem deducere studemus, libertatis humanae natnram philosophorum catholicorum placitis inhaerentes, rectaque ratione duce, in praesentiarum investigabimus. Libertas, uti satis vi nominis declaratur, idem prorsus est ac immunitas ab aliquo impedimento, vinculo, servitute. Impedimentum hocce duplex: nam vel ab extrinseca oritur causa, qua agens per vim sibi illatam praepeditur, vel est a principio intrinseco agentem, ut ajunt scholae, necessario ad nnum determinante. Prima in hypothesi habetnr *coactio,* in altera *necessitas simplex* et *absoluta.* Ratione igitur oppositorum duplex erit quoque haec *immunitas,* seu *libertas:* alia a *coactione,* alia a *necessitate simplici* vocabitur.

§. VIII.

Quoniam autem ex definitis libertas a coactione solam, et omnem vim extrinsecam excludit, consequens inde est, eam per necessitatem simplicem non auferri. In eodem ergo subjecto componi possnnt libertas a coactione, simplexque necessitas. Sic homo necessario appetit felicitatem in genere, cum ita natura comparatus sit, ut eam non appetere nequeat: attamen vim nullam et coactionem ex hoc patitur; unde, quamvis necessario, libere semper in felicitatem fertur, ea

nempe libertate, quae dicitur a coactione.

§. IX.

Porro animadvertere opus est, necessitatem etiam suas species habere; distinguitur namque in *antecedentem* et *consequentem*, in *physicam* et *moralem*. Necessitas antecedens aut rationis praevenit usum, uti fieri patet in motibus, qui primo-primi a theologis nuncupantur, aut, posita quoque rationis advertentia, omnino antecedit ac pertrahit voluntatis consensum: talis est necessitas amoris beatorum in Patria. Necessitas consequens voluntatis deliberationem subsequitur, atque in eo reperitur, qui rem alienam suo domino reddere tenetur, cum antea libere deposito illam receperit vel commodato. Consistit physica necessitas in naturali ad unum determinatione, per quam actus suspendi aut impediri non potest: ejusmodi est cibi, potusque necessitas ad vitam servandam. Moralis demum necessitas quaedam est determinatio ad unum cum difficultate ex adverso operandi, quae tamen difficultas physice vincibilis est: hujus necessitatis exemplar in homine habetur, qui pravis habitibus adeo irretitus est, ut in iis morali quadam detineatur necessitate, licet vires physicae illi non desint, quibus ab iisdem solvatur. Ex hisce plane colligitur,

quid sit *libertas* a *necessitate antecedente*, et *consequente*, quid *libertas* a *necessitate physica et morali.*

§. X.

Libertas a necessitate simplici antecedente, indifferentia activa, libertas electionis, liberum arbitrium indiscriminatim sumuntur a theologis ad eam facultatem designandam, *qua, positis omnibus ad agendum requisitis, homo pro lubitu agere potest, vel actionem praeterire.* Huic definitioni apprime consona est doctrina Divi Thomae dicentis 1. parte Quaest. 83. artic. 3. = Proprium liberi arbitrii est electio: Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum eligere, altero recusato; quod est eligere =. Ibidem autem artic. 4. subdit ille: = Liberum arbitrium nil aliud est, quam vis electiva =. Si intimum animi sensum, si experientiam ipsam quisque consulere velit, nemo sane in dubium revocabit, triplici diverso pacto hominem eligere posse. 1° Itaque si quis ad alterutrum se se determinet ex duobus contradictoriis, uti ad orandum vel non orandum, *libertatem contradictionis* exercet: 2° si in unum ex contrariis feratur, nempe in virtutem aut vitium, *libertate* utitur *contrarietatis:* 3° denique si unum ex pluribus eligat numero vel specie diversis,

scilicet ludere, pingere, canere etc., tum *libertas* dicitur specificationis et exercitii. Omnibus hisce de libertatis natura, ejusque variis speciebus praelibatis, ad percensendos errores nunc progrediamur, in quos circa liberum hominis arbitrium prolapsi sunt philosophi atque haeretici non pauci tum veteres tum recentiores.

ARTICULUS SECUNDUS

Errores circa liberum arbitrium enuntiantur.

§. XI.

Plures inter antiquos libertatem in homine consistere non posse ex hoc arbitrati sunt, quod omnia fato quaeque fiunt sub sole determinanti in ordine tum physico tum morali subjicerent. Ita Stoici senserunt (1), quique olim Mathematici, Genethliaci, Astrologi vulgo dicebantur (2). Ethnicorum fatalistarum doctrinam amplexati sunt Priscillianistae saeculo Ecclesiae quarto, uti

(1) De fato Stoicorum vide sis Tullium de Natura Deorum Lib. 3. N. 6., De Fato, de Divinatione Lib. 1., Eusebium Pamphylum de praeparatione evangelica Lib. 6. cap. 6. et 8. Augustinum De Civitate Dei Lib. 5. cap. 8. et 9.

(2) Fati nomine intelligebant veteres seriem, ordinem, et influxum causarum naturalium, ac praesertim Caelorum et Astrorum, unde omnia necessario evenire concludebant. Vide Augustinum Lib. 2. contra duas Ep. Pelag. ad Bonif. cap. 6.

Bracarense testatur concilium secundum cap. 9. a quo tam ineptum deliramentum hisce verbis legimus proscriptum: = Si quis animas, et corpora humana fatalibus stellis credit adstringi, sicuti pagani, et Priscillianus dixerunt, anathema sit =. Liberum pariter evertebant arbitrium Manichaei, quamquam diversa procederent via, atque ab alio fundamento erroris causam haurirent. Cum etenim duplex cunctarum rerum admitterent principium, duplicem quoque animam ab utroque profluentem homini tribuebant. Quibus in perpetuo conflictu existentibus, cum homo hinc vel inde ageretur, bonus erat, vel malus pro ratione principii, quod in ipso praevaleret, eumque ad virtutem aut vitium compelleret (1).

§. XII.

Non diffitentur alii voluntatis arbitrium humanae consentaneum fore naturae: quin imo in felicissimo innocentiae statu primum hominem tanto munere donatum concedunt: at aeque contendunt proto-parentis lapsu illud penitus deperditum atque extinctum fuisse. Hi sunt novatores sexti decimi saeculi, quibus jam Wiclefus praeiverat autumans:

(1) Videatur D. Augustinus Lib. de duab: animab: contra Manichaeos, et Lib: retractationnm cap 5., D. quoque Hieronymus in proaemio dialogi adversus Pelagianos.

omnia de necessitate absoluta evenire (1). Wiclefum sectatus est Lutherus, qui *de servo arbitrio* libertatem appellat *inane vocabulum*, eamque fidenter pronunciat e diametro cum Dei praescientia, atque omnipotentia pugnare. Item in suis colloquiis audet asserere: = Liberi arbitrii nomen odiosissimum fuisse omnibus Patribus, et hominem dicendum, non arbitrio liberum, sed servum peccati = (2). Neque minus libertatis acerrimus insectator extitit Calvinus: suis namque institutionibus lib. 2. cap. 2. haec tradit: = Liberi arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni aeque ac mali electionem, sed quia male voluntate agit, non coactione =: et lib. 2. contra Pighium: = Serva voluntas est, quae propter corruptionem sub malarum cupiditatum imperio captiva tenetur, ut nihil quam malum eligere possit, etiamsi id sponte, et libenter, non externo motu impulsa id faciat =. Libertatem a necessitate oppugnarunt praeterea Bajus (3), et Jansenius Hyprensis Episcopus, quorum postremus lib. 6. *de Gratia*

(1) Propositionem hanc sub N. 27. Martinus V. damnavit in Synodo Constantiensi Sess. 45.

(2) Videatur Pallavicinus Historia Concilii Tridentini.

(3) Ex Bajanis propositionibus 76; quas repudiarunt S. Pius V. et Gregorius XIII; haec sub N. 66. continetur — Sola violentia repugnat Libertati hominis naturali —.

probare nititur libertatis essentiam in solo voluntario consistere, neque indifferentiam contradictionis ad meritum requiri (1). Uno verbo: huc tota novatorum doctrina recidit summa, ut sibi suadeant gratiae victricis efficacia, aut vi concupiscentiae, quibus resisti nequit, hominem pertractum necessario operari.

§. XIII.

Pseudo-philosophi athei, fatalistae, materialistae bellum et ipsi libertati humanae indixere. Eorum princeps Spinosa Ethicae parte 1. prop. 48. ita scribit: = In mente nulla est absoluta, sive libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud determinatur a causa, quae etiam ab alia causa determinata est, et haec iterum ab alia, et sic in infinitum =: idipsum confirmat Ep. 62. (2). Huic Hobbesius accedit, qui, posito causam inter et effectum nexu quodam necessario, exinde colligit, voluntatem libere non agere, utpote quae ab aliis causis omnino depen-

(1) En Jansenii prop. 3. ab Urbano VIII. Innocentio X., Alexandro VII. et Clemente XI. semel iterumque profligata: — ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione — .

(2) Vide Valsecchium — Dei fondamenti della Religione T. 1. Lib. 1. cap. 6.

deat (1). Helvetius itidem in nefario opere inscripto *De l' Esprit* sermone 1. capite 4. voluntatem appellat effectum immediatum, ac necessarium perceptionum, quas e circumstantibus objectis recipimus. Collinsius tandem in suis inquisitionibus circa libertatem dubitationes ut plurimum effundit quoad hujusce facultatis existentiam, novisque lineamentis aliorum cavillationes instaurat. Quam porro turpi rationis abusu eorum instruant argumenta mox notati libertatis osores in postremo hujusce capitis articulo quisque facile videbit (2).

ARTICULUS TERTIUS

Hominem libero arbitrio gaudere, non uno ex capite firmissime demonstratur.

§. XIV.

Cum utriusque foederis oracula in libero hominis arbitrio asserendo mira consensione sibi invicem adstipulentur, ab iis exordiri operae pretium est, ac infallibile veritatis

(1) Hobbesii sophismata adversus libertatem in unum collecta reperiuntur apud Harrisium in — Réponse aux difficultés, que forment les Athées sur l'existence, et les attributs de Dieu part. 3.

(2) Vide Gerdilium tom. 16. operum edit. rom., Valsecchium loco supra cit., et Cerbonium theolog. natur. t. 1. lib. 2. Qu. 6. art. 6.

demonstrandae argumentum e tantae auctoritatis fonte depromere. Imprimis itaque Geneseos cap. 4. v. 7. sic Deus Cain alloquitur: = Nonne si bene egeris recipies, sin autem male statim in foribus peccatum tuum aderit. Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius =. Secundo nobis occurrunt Ecclesiastici verba cap. 15. v. 14. et seq. = Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata, et praecepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te .... Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei dabitur illi =. Item in Deuteronomio cap. 30. v. 19. ait Moyses ad populum Israel: = Testes invoco hodie caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum =. Isaias quoque cum prophaetaret in Judam et Jerusalem inquit cap. 1. v. 19. 20. = Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis: quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est =. Demum ex pluribus novi Testamenti locis unum referamus Apostoli ad Philemonem scribentis v. 14. = Sine consilio autem tuo

nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium = (1). Quibus auctoritatibus praepositis, hac ratione conclusionem instituimus. Ex Sacris Literis homo pro lubitu bonum agere potest vel malum, servare praecepta vel transgredi, vitam aut mortem eligere, velle et nolle, agere voluntario, non ex necessitate. Verum in hisce omnibus libertas a necessitate sita est. Ergo ex Sacris Literis constat, homini inesse libertatem a necessitate, seu liberum arbitrium (2).

§. XV.

Scripturis Sacris perficissime convenit Sanctorum Patrum doctrina, e quorum operibus nonnullas saltem deligere sententias congruum arbitramur. Ac primum omnium inter graecos Irenaeum audiamus, qui adversus haereses lib. 4. cap. 9. in Geneseos cap. 1. ait: = Homo rationalis, et secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus,

(1) Allatis Scriptnrarum testimoniis cnm maxime urgeatur Calvinus, ea in pravum sensum detorqnere conatnr lib. 2. contra Pighium; praecipue vero illnd Ecclesiastici Cap. 1. intelligendum fore praesnmit de Adam in primitiva integritate constituto. Inane prorsus effugium. Ecclesiastici enim aliorumque sacrorum scriptorum verba non ad solum Adam in primigenio statu condito referri possunt, sed uti ex obvio contextu per se patet, vel judaeos respicinnt, quos ipsi alloqunntur, vel mortales omnes generatim in conditione lapsae naturae detentos.

(2) Vide Petavinm theologicorum dogmatum lib. 3. Cap. 2.

et suae potestatis =. Epiphanius adjicitur ab Isaiaè cap. 1. hac ratione concludens haeresi 16. = Ex quo perspicue illud citra dubitationem efficitur, liberum arbitrium homini a Deo esse concessum, cum ita per se dixit. Si volueritis, et si nolueritis; adeo ut bene agere, vel malas res concupiscere in illius arbitrio sit relictum =. Athanasius pariter in oratione adversus idola haec habet:= Anima libera est, et sui arbitrii; potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari =. Addatur Chrysostomus homilia 2. de Lazaro dicens : = Animabus a diabolo vim, neque dum sunt extra corpus inferri. Quinam ergo peccat, ait, si vi minime coguntur? Ultro et volentes seque ipsas tradentes, non necessitate compulsae neque tyrannide oppressae. Atque hoc omnes illi demonstrant, qui illius artificia omnia superarunt. Nam et Job, cum infinita misceret, persuadere non potuit, ut blasphemum aliquid proferret. Unde apparet, in potestate nostra esse positum illius parere consiliis vel non parere, neque necessitatem vel tyrannidem ullam perpeti =. Cum graecis optime etiam latini Patres concordant. Prae ceteris Hieronymus Matthei caput 19. explicans in epistola ad Demetriadem haec habet: = Si vis, inquit Servator, esse perfectus: non cogo, non

impero, sed propono palmam, ostendo praemia. Tuum est eligere, si volueris in agone atque certamine coronari =; et lib. 2. in Jovinianum cap. 2. = Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio,nec corona est =. Sed Augustinum praesertim consulamus, quo tam inique hac in re adversarii abutuntur. En quid de libertate is proferat lib. de vera religione cap. 14. = Quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium =. Rursus de Civitate Dei lib. 5. S. Doctor ostendit integro cap. 10. nullam voluntatibus hominum necessitatem dominari, ibique sic argumentum perstringit: = Multa facimus, quae si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet ipsum velle: nam si volumus, est; si nolumus, non est: non enim vellemus si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus, necesse est, ut ita sit aliquid, vel ita fiat; nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis =. Heic tandem locum obtinet D. Bernardus, qui lib. de gratia, et libero arbitrio cap. 3. hoc pacto libertatem discernit: = Triplex est nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc

ultimo loco positam nobis contulit in conditione natura; in prima restauramur a gratia (1); media nobis reservatur in Patria (2) = De auctoritate Patrum dicta sint satis (3)

§. XVI.

Quod Sancti Patres de humana libertate docere jam vidimus, id suis sanctionibus tum per Romanos Pontifices, tum in Conciliis oecumenicis Catholica firmavit Ecclesia. Primo enim acatholicorum doctrinam libero arbitrio adversantem oppugnarunt Pius V; et Gregorius XIII; ut alibi monuimus (4). Leo X. subinde plures Lutheri articulos reprobavit, quorum tricesimus sextus hisce verbis concipitur. = Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo =. Quod si de sacris conciliis sermo habeatur, praeter Diospolitanum, Arausicanum 2. Bracarense 1. et Constantiense, Tridentina Synodus dogma catholicum vindicat Sessione 6.

(1) Ad hoc libertatis genus referuntur Apostoli verba ad rom. Cap. 6. v. 20. — Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiae —.

(2) Hujusce libertatis donum nobis promittitur eadem Ep. Cap. 8. v. 21. — Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei —

(3) Alia plura Sanctorum Patrum, quae mittimus, testimonia si lector studiosus expendere velit, Petavium adeat theologicorum dogmatum lib. 3. et 4. tom. 3.

(4) Artic. 2. Institutionum §. 12.

decernens ad calcem capitis primi, in hominibus: *liberum arbitrium minime extinctum esse, viribus licet attenuatum et inclinatum.* Speciatim porro Lutheri, et Calvini errores per sequentes canones insectatur: Canon 4. = Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, et vocanti ..... neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit =. Canon 5. = Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana inventum in Ecclesiam, anathema sit =.

§. XVII.

At plures humanae libertatis adversarios extare noscimus, qui, cum Ecclesiae auctoritatem parvipendant, neque divina recipiant oracula, probationibus traditis minime acquiescunt. Aliud igitur heic adjiciatur argumentorum genus, quorum potissimum ex intimo cujusque sensu nobis recta ratio suppeditat. Hominem suae mentis apprime compotem effingamus, ac praejudiciis expertem, qui suorum actuum rationem serio scrutetur, atque ab ipsa, quam in se agno-

scit cogitandi facultate sic disquisitionem ordiatur. Ego cogito; me autem cogitante, nihil impedit omnino, quominus a cogitatione, qua afficior, animus avocetur, ad aliaque, si libeat, convertatur. Loquor, ambulo, sedeo; verum potentiam mihi insitam experior secus operandi. Si in objectum aliquod appetitus feratur, meamque in illud pertrahere conetur voluntatem; appetitu vel reluctante, ab objecto mihi proposito animum, si velim, averto. Ad felicitatem generatim expetendam necessitate quadam indeclinabili veluti compellor; at aeque intus moneor, in ceteris animum meum nulla re prorsus agi vel detineri. Haec omnia intimus sensus me edocet, simulque edisco, imperium rationis, quod in potentias sibi subditas meus animus pro arbitratu exercet, nonnisi iu subjecto a qualibet necessitate immuni posse componi. Intimus ergo sensus evincit, libertatem arbitrii in homine existere (1).

(1) Hac de re consulatur D. Thomas, parte 1. Quaest. 83. art. 1. Quaest. 6. de malo art. un. et contra gentes lib. 2. Cap. 48; quibus in locis humanae libertatis existentia asseritur, ac invicte propugnatur; item et Eusebius praepar. Evang. lib. 6. §. 6.

Videatur insuper Georgius Cheine in principiis philosophicis religionis naturalis Cap. 3.

Idem argumentum disertissime pertractat Fenelonius in demonstratione existentiae Dei part. 1. §. 66; et 87.

Ex intimo quoque sensu liberum hominis arbitrium infert

§. XVIII.

Veritas hactenus propugnata magis adhuc roboratur, si, argumento per absurdum deducto, plurima expendamus consectaria, quae, agendi necessitate posita, ultro descendunt.

Consectarium 1. Si voluntarium liberum homini eripiatur; ergo nec laudem, neque vituperationem promerentur actiones humanae. Ecquid enim meriti nancisci potest actus necessario contingens? Illud sane, quod tribuendum est vel plantae, quae crescit, vel lapidi, qui centrum petit. Hac in hypothesi aeque existimandus esset medicus, qui egrotum sanat, ac sicarius, qui innocentem transfodit; tam qui sua egeno elargitur, quam qui diripit aliena; et cordatus miles, qui hostem aggreditur, et qui, acie vix instructa, discrimen perterritus evadit.

Consectarium 2. *Sine libertate poenae forent injustae*(1), item et praemia. Nam certe amentem et furiosum nemo dixerit unquam praemiis, aut supplicio afficiendum, quod

Cicero Quaest. Tusculan. lib. 1. Cap. 23. dicens: — Sentit animus, se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri —.

Pro libertate aliud rationis momentum ex conscientiae morsibus, quibus homo, crimine admisso, torquetur, hisce deducit verbis D. Augustinus lib. de duab. anim. Cap. 14. §. 22. — Poenitendi quoque affectus, et male fecisse poenitentem, et bene facere potuisse, testatur —.

(1) Aul. Gell. Noct. Athic. lib. 6. Cap. 2.

bene vel male operetur. Cur autem? Quia ratione carens sponte agit, non libere: cui vero liberum deest, actus in genere morum non imputatur. Cum igitur par esset omnium hominum conditio si necessitate ducerentur, nec poenae iis inferri possent, nec praemia concedi.

Consectarium 3. Dempto voluntatis arbitrio, leges omnes, e quibus tota cujusque reipublicae incolumitas pendet, injustae simul ac inanes evaderent (1). Quaenam revera leges licite atque efficaciter imponi possent agenti necessario, cui vires ad eas servandas naturaliter non suppeterent?

Consectarium 4. Homine non libero, nulla societas profecto consisteret. In eo quippe fatalis necessitatis statu, cum nulla lex foret, jam voces essent sine re virtutes ac vitia, mutua hominum officia, obligationes, pactiones, juramenta; nec ulla inter conjuges, inter amicos amplius fides haberetur. Hac porro ratione quorsum iret societas, quae hisce omnibus nititur fundamentis? Quid de humano genere, si ea, quibus illud servatur, vincula dissolverentur?

Quae modo singillatim animadvertimus in unum ita colligit D. Augustinus de Civitate

(1) D. Augustinus Ep. 215. ad Valen. Ep. apposite ait: -- Eo ipso, quo (aliquid) praeceptum et imperatum est, obedientia nostra requiritur, quae nulla potest esse sine libero arbitrio.

Dei lib. 5. cap. 9. = Sublata libertate, omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla justitia bonis praemia, et malis supplicia constituta sunt =. (1)

§. XIX.

Ab universali denique hominum consensu firmissimum pro libertate argumentum eruitur. Pythagoram (2), Platonem (3), Aristotelem (4), Tullium (5), omnesque, uno verbo, praestantiores philosophos, quovis aevo floruerint, in idem consensisse tam luculenter apparet, ut vel invitus id fateatur

(1) In idem consentit Angelicus Quaest. 6. de malo art. unico: -- Haec, inquit, opinio, (quae liberum scilicet excludit) tollit rationem meriti, et demeriti in actibus humanis, non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiae opiniones, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiae moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio, laus et vituperium, circa quae moralis philosophia consistit --.

(2) Ex Stanlejo Hist. philos. de doctr. Pythag. noscimus, alia divina Providentia, alia fato, alia hominum consilio evenire Pythagoram docuisse.

(3) Plato, teste Plutarco de placit. philos. Cap. 2., -- fatum quidem in hominum vitas, et actiones introducit, sed voluntatis libertatem cum eo conjungit --.

(4) Aristotel. lib. 1. Moral. Cap. 9.

(5) Cicer. de Fato, de Nat. Deor; de Divinat.

Calvinus ipse in suis institutionibus lib. 2. cap. 2. §. 2. Quod si de ceteris hominibus loquamur, nulla profecto gens extitit unquam tam silvestris, tam ferox, uti populorum testantur historiae, quae non reprehenderit improbitatem, quaeque justitiam, largitatem, fidelitatem commendandam non agnoverit. Verum generales hujusmodi, atque constantes boni, malique notiones non aliunde, quam ex persuasione liberi arbitrii proficisci possunt. Una igitur omnium vox est: Homo liber est. Universalis haec consensio adeo innotescit, ut Hipponensis Episcopus in Manichaeos lib. de duab. animab. cap. 11. §. 15; haec scribere non dubitaverit: = Etiam ne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione supplicioque dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum? (1) =

(1) Videatur D. Gregorius Nyssenus oratione catechetica Capite 31.

ARTICULUS QUARTUS

Praecipue refelluntur objectationes, quae humanae libertati officere videntur.

§. XX.

Quamvis argumenta, quibus liberi arbitrii existentiam comprobavimus, omnes affatim prosternant errores hac, vel illa ratione veritati jam perspectae adversantes; nihilo tamen secius graviores saltem in lucem proferantur, quas et novatores et increduli opponunt difficultates, ut quam levis momenti eae sint lector studiosus intelligat.

In aciem exeunt prae primis Lutherus et Calvinus Sacrarum Scripturarum auctoritate freti, quarum praesidio haec loca nobis objiciunt.

1. *Scio Domine,* ait Jeremias, *quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.* Cap. 10. v. 23.

2. *Auferam cor lapideum de carne vestra,* dicit Dominus, *et dabo vobis cor carneum: et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* Ezech. c. 36. v. 26. et 27.

3. Paulus Apostolus de se loquens fatetur: *Quod operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi*

malum illud facio. Ep. ad rom. cap. 7. v. 15.

4. Christus ipse in Evangelio Joannis inquit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Cap. 6. v. 44. *Sine me nihil potestis facere.* Cap. 15. v. 5. Hisce omnibus una simul congestis, ita brevi instituitur in sensu novatorum conclusio. Liber a necessitate non est, qui vias suas in potestate non habet; qui aliena virtute servat praecepta; qui facit quod non vult, nec facit quod vult, neque intelligit quod operatur, qui tandem ex se nihil agere potest, sed opus illi est, ut ab alio trahatur. Verum, talem fore in praesenti naturae statu hominis conditionem, e Sacris Literis edocemur. Ergo Scripturae Sacrae liberum inficiantur arbitrium.

Resolutio difficultatis cum tota pendeat a vera significatione statuenda verborum, quibus abutuntur adversarii; hinc eam, uti par est, attingere studeamus.

Ad 1. itaque animadvertimus, dupliciter viarum suarum dominio aliquem posse gaudere: nimirum vel quoad propositum, consilium, mediorum electionem, aliaque id genus, quae liberae potentiae conveniunt; vel insuper etiam quoad executionem et eventum. Primum dominium ad essentiam pertinet libertatis, non vero secundum. Hoc autem tantummodo, non illud homini deesse

constat ex verbis Prophetae: ideo enim non sunt in potestate hominis viae ejus circa effectus, quos ille in suis actibus intendit, quia et vita, et sortes hominum divinae voluntati subjiciuntur. Jeremiae loco hujusmodi sensum apprime convenire satis ostendit illud Proverbiorum cap. 16. v. 9. *Cor hominis disponit viam suam:* en ex uno capite libertas arbitrii: *sed Domini est dirigere gressus suos:* en pariter ex alio Providentiae influxus, qui libertatem prorsus non ledit.

Ad 2. Auferre cor lapideum, cor carneum infundere, efficere ut in praeceptis quis ambulet, aliique similes dicendi modi necessitatem non denotant: cernitur ex hisce potius gratiae praevenientis, et adjuvantis efficax operatio. Porro divinae gratiae auxilium, ac libera hominis cooperatio invicem non colliduntur, prouti eruitur ex Ps. 94. v. 8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Ad 3. Neque magis adversariorum causam tutatur Apostolus, cum de actibus indeliberatis sermonem habeat, qui procedunt ab appetitu sensitivo, quique consilium et electionem praeveniunt. De hoc pugnae statu rationem inter et appetitum ipsemet loquitur eodem cap. v. 23. agens de lege peccati, legi mentis repugnante. Secus intelligen-

dam non esse Apostoli mentem jam liquet ibidem v. 20. *Si quod nolo illud facio, jam non ego operor illud:* Cur namque illud *non operor* Paulus opponit verbis *ago* et *facio?* Quia profecto nil aliud significant haec verba, quam *sentio,* et *experior. Malum* item ac *peccatum* is improprie sumit pro ea ad malum propensione, quae in statu naturae lapsae homini necessario inhaeret, cui tamen, divino juvamine favente, libere quisque potest non consentire si velit.

Ad 4. Deus homines trahit, non equidem, uti Lutherani contendunt, necessitatem inducendo: scriptum est enim Sapientiae cap. 8. v. 9. Deum *attingere a fine usque ad finem fortiter et disponere omnia suaviter. Trahere* in sensu Evangelistae idem est ac interne vocare, adhortari. Hac siquidem ratione Deus, quin necessitatem inducat, voluntatem movet et excitat; cui vocationi ea resistere potest, immo vero ut plurimum resistit juxta illud Proverbiorum cap. 1. v. 24. 25. *Vocavi et renuistis; extendi manum meam et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Oppido quoque falluntur novatores, dum censent, per verba *sine me nihil potestis facere* libertatem eliminari. Sane liberum hominis arbitrium attenuatum per culpam fuisse Catholica tenet Ecclesia. Quam-

quam igitur homo libera operandi virtute adhuc praeditus sit, nihil tamen sine Deo facere potest; scilicet in ordine supernaturali agere nequit propriis viribus derelictus, sed ope gratiae necessario eget ad justificationem et gloriam sibi comparandam.

Ex dictis jam compertum est, quam facile quisque occurrere valeat argumento, quo tota concludebatur difficultas. Nam si juxta praemissas animadversiones utraque antecedens propositio accurate per singulas partes distinguatur, consequens utpote falso innixum fundamento per se corruere necesse est.

§. XXI.

At praelium restituunt Novatores, praesertim vero Calvinus lib. Institut. 2., nobisque magnum Augustinum objiciunt, quem semel, iterumque voluntarium liberum homini denegasse arbitrantur. En augustinianae propositiones, quae adversariorum partes favere videntur.

Libero arbitrio male utens homo et se perdidit, et ipsum: in Enchir. cap. 30. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus:* in Ep. ad Vitalem cap. 4. *Victa vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura:* lib. de perfectione justitiae hominis cap. 4. Verum,

ut mentem S. Patris, rite assequamur, juxta sanioris critices principia variae dispiciendae sunt circumstantiae, quibus ille scripsit, ac diversitas errorum quos refutavit. Si loca nuper citata probe considerentur, inibi Augustinum videbimus Pelagianos insectantem, qui libero arbitrio nimium tribuentes, hominem de se et absque gratiae concursu justificari posse autumabant. Nil ergo mirum, si adversus eos dimicando pluries asseruerit hominem liberum amisisse arbitrium in sensu pelagiano; illud scilicet arbitrium, quod gratiae influxum excludit. Sed contra cum disputationem institueret in Manichaeos naturalem hanc potentiam negantes, ad eos profligandos liberum arbitrium pro viribus defendit. Ergo, ne dicamus in turpem logomachiam incidisse solertissimum hunc Patrem, concludendum est duplici sensu humanam libertatem spectasse. Cum ea sumeretur pro naturali agendi vel non agendi potentia independenter a gratia, tum illam respuebat, ne in pelagianismum delaberetur: cum veluti naturalis haberetur facultas agendi simpliciter, vel non agendi, tum eam invicte propugnabat ne ad Manichaeos deflecteret (1). Hac liberi arbitrii distinctione necessario posita, quamlibet eva-

(1) Lib. 2. de Actis cum Felice Manichaeo Cap. 4. et lib. 2. de Nupt. et concup. Cap. 5. adversus Julianum.

nescere difficultatem ex eo dilucide patet, quod libertas, quae locis superius traditis fertur amissa, immunitas est a lege peccati, immunitas a concupiscentia, et quae in statu naturae integrae Adae propria erat, facilis ad bonum propensio. Id luculenter ostendunt ejusdem Patris verba lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. ita scribentis: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Ex hisce videant novatores, nullum eis conferre subsidium Augustini doctrinam, de qua tam fidenter gloriantur (1).

§. XXII.

Pseudo-philosophi demum insurgunt, pluribusque rationibus liberum hominis arbitrium hoc pacto aggrediuntur.

Objectio 1. Libertas humana cum divina futurorum scientia consistere nequit. Ergo alterutra rejicienda. Hoc argumentum adeo formidolosum visum est Marco Tullio, ut ne libertatem tolleret coactus fuerit praescientiam in Deo non admittere (2). Ne igitur

(1) Vide Petavium theologic. dogm. t. 3. lib. 4. Cap. 8. et seq. Cardin. Gotti t. 7. oper. tract. de Actib. Hum. Quaest. 2. dub. 1. et Gerdilium cit. tom. 16.

(2) Hujusmodi consectarium Cicero deducit lib. 2. de Divin.

huic Divinitatis attributo vel minime derogetur, satius erit libertatem auferre.

Objectio 2. Actiones, quae humanae dicuntur, a mente procedunt. Sed mens nil aliud est, quam certus ac determinatus cogitandi modus. Ergo in actibus humanis nil aliud praeterquam determinatio reperitur, quae libertatem excludit.

Objectio 3. Homo in suis actibus per delectationem, et dolorem necessario determinatur; secus et poenas et praemia leges perperam constituerent. Humanae igitur actiones libertate carent.

Objectio 4. Omnes homines malum sub ratione mali semper ac necessario abhorrent; item ex adverso quidquid apprehendunt sub ratione boni, illud semper ac necessario prosequuntur. Id ex eo deducunt Philosophi simul atque Theologi, quod vi quadam interna ac naturali quisque trahitur ad felicitatem appetendam. Sed necessitas et libertas duo sunt invicem contradictoria. Ergo actiones humanae liberae non sunt.

Objectio 5. Posita causae alicujus sufficientis existentia, effectum eam consequi necesse est, alioquin causa sufficiens non foret. Sed in re nostra causa sufficiens voluntas est, actus humanus est effectus. Ergo actus humani libertatis sunt expertes.

Objectio 6. Humana voluntas est aliarum

causarum effectus. Dum ergo operatur ab illis omnino dependet, seu quod idem est, libertate non gaudet.

Objectio 7. Humani corporis quae vires sint, quidque illud possit ex solis naturae legibus satis nobis perspectum non est: nec quidquam explorati circa nostrarum volitionum indolem habemus. Quis enim noverit, qua ratione voluntas agat in corpore, quot gradus motus ei imprimere valeat, aliaque hujusmodi plura, quae internam animi aeconomiam respiciunt? In tanta rerum caligine vulgaris de libertate persuasio inter eas opiniones referenda est, quae in ignorantia fundantur. Nil ergo certi quoad liberum arbitrium prudens philosophus poterit definire.

Objectio 8. Immo si naturam hominis scrutari libeat, ea, quae nobis innotescunt necessitatem potius, quam libertatem testantur. Nam ideas saepe revocare non possumus, cum etiam velimus; ipsis nolentibus interdum occurrunt; ab objectis externis, vel inviti perceptiones recipimus, quarum immediati ac necessarii effectus sunt actus humani; tandem juxta corporis temperamentum, conditionem, dispositiones appetitus nostri mutantur, adeo ut voluntas ab instinctu quodam determinari videatur.

Objectio 9. In homine operante quatuor

concurrunt nempe *idearum perceptio, judicium, velle, et agere*. Atquin haec omnia sunt necessaria. Ergo actum est de libertatis humanae existentia. Per partes minor propositio demonstratur. Ideae dupliciter in nobis efficiuntur: si a *sensationibus* gignantur, tum necessario ab externis pendent objectis, quae sensus afficiunt: si ab animi *consideratione* ortum ducant, itidem necessariae sunt, nam dum quis cogitat, non potest sibi conscius non esse de propria cogitatione. Semper igitur necessaria est idearum perceptio, quomodocumque in homine contingat. Item quaelibet propositio, de qua fertur judicium, certa vel dubia necessario constare debet, vera vel falsa, probabilis vel improbabilis. Ergo necessarium est quoque judicium. Postremo si de velle et agere sermo sit; ex hoc ipso necessitas elucet, quod, cum aliquid agendum sit, homo necessario velle aut nolle, agere aut non agere teneatur. Quod si opponatur, inter velle et nolle animum pro arbitrio electionem et actum suspendere posse; inde etiam necessitas infertur, quia et suspensionis actus medium non admittit inter velle et nolle, cum uterque ex hisce terminis *suspendere* actionem vel *non suspendere* sit actus necessario determinatus.

Haec sunt potiora momenta rationum,

quae Spinosa, Hobbesius, Helvetius et Collinsius ad voluntarium liberum evertendum nobis objectant (1). Quomodo autem ea cuncta Vir Theologus valeat enodare ex sequentibus patebit. Age jam reponamus.

Ad 1. Si philosophus academicus libertatem humanam, Deique infallibilem futurorum praescientiam haud simul componere potuit, non inde tamen utrumlibet repudiandum fore consequitur. Equidem non diffitemur, hujusce conciliationis modum in re tam abstrusa intellectum perfecte non attingere; at probationes non desunt, quibus utrumque extremum existere invictissime ostendatur. Nam futurorum contingentium praescientiam in Deo haberi adeo perspicuum est, ut si eadem removeatur, Enti necessario detrahitur absoluta perfectio, quod idem est ac illud non admittere: *qui enim,* inquit Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 9., *qui non est praescius futurorum omnium, non est utique Deus.* Neque minus evidens est, hominem libertate pollere ex demonstratis artic. 3. praecedente. Quibus positis, etsi modus, quo hujusmodi extrema conciliari valeant, penitus lateret, jure ne poterit sapiens philosophus hoc vel illud idcirco respuere? Minime profecto: sed potius

(1) Vide artic. 2. §. XIII.

humanae mentis limitationem, cui nec in naturalibus omnia noscere datum est, fateri debebit. Ceterum invicem utramque veritatem non pugnare jam pluribus ostendunt rerum theologicarum scriptores: idque certo constat, si hoc unum advertatur, in rerum ordine, quae Dei praescientia comprehenduntur, duo fore causarum genera, quarum aliae necessariae dicuntur, aliae contingentes seu liberae. Jam vero si potuit Deus utrasque pro libito creare; cur aeque non potuit earum effectus praenoscere, quin causis, quas liberas voluit, necessitatem imponeret? Cum itaque nulla inter haec duo extrema appareat contradictio, alterutrum immerito oppugnabitur, etiamsi ignoretur quanam ratione ea invicem componantur. Qua de re ita cum Augustini verbis ibidem cap. 10. concludimus adversus Collinsium: *Nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum negare praescium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter ac veraciter confitemur* (1).

(1) Hanc difficultatem expendit et conterit D. Augustinus adversus Stoicos scribens lib. 5. de Civit. Dei Cap. 9. et 10., cujus auctoritatem ex parte saltem heic lubet referre. -- In has angustias — inquit, — coarctat Cicero animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate,

Ad 2. Ineptit sane Spinosa cum mentem definit certum ac determinatum cogitandi modum. Haec propositio, quae in ejus ethica part. 1. sub N. 11. reperitur, est veluti corollarium absurdi systhematis de unica substantia, quod effinxit pantheista judaeus. Cum vero ex principiis metaphysicis hujusmodi systhema explodatur, jam consequitur fallacia propositionis, et quae super eam adstruebatur, concidit objectio. Mens quippe, ut rite loquamur, modus, seu modificatio non est, sed vera substantia; scilicet animus ipse intelligens ac volens, qui non ab alio, sed a se ipso libere ad actionem determinatur.

Ad 3. Si praemia et poenae vi delectationis ac doloris hominum actiones necessario determinarent, uti sibi suadet Collin-

aut esse praescientiam futurorum, quoniam utrumque arbitratur esse non posse...... Ipse itaque..... ex his duobus elegit voluntatis arbitrium; quod ut confirmaretur, negavit praescientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat — .

Sibi autem opposita adversariorum argumentatione, haec subinde respondet: — Nos adversus istos sacrilegos ausus atque impios, et Deum dicimus omnia scire antequam fiant, et voluntate nos facere quidquid a nobis nonnisi volentibus fieri sentimus et novimus.

Consulantur D. Thomas lib. 3. contra gentes Cap. 94., Petavius oper. tom. 1. lib. 4. Cap. 6. et 7., et Tournelyus in praelectionib. theolog. tom. 1. part. 2. Quaest. 18. artic. 2.

sius, nemo unquam a suo munere descisceret, legesque poenales in perpetuum servarentur. At contrarium evenire prorsus in comperto est, cum plerique in societate sint, quos merces et supplicia nec in officio continere valent, nec ad virtutem allicere, neque a culpa deterrere. Sapienter igitur et praemia et poenae inter homines constituuntur, quia bonum saepe efficaciter per haec motiva promovetur, non eo tamen modo, ut arbitrii libertas destruatur.

Ad 4. Necessaria ad felicitatem propensio, quam libertatis defectui tribuunt Hobbesius, Collinsius et Helvetius, naturae potius humanae perfectionem ostendit: amor quippe necessarius, quem erga felicitatem in nobis indidit Deus, fons et radix ipsius libertatis a catholicis asseritur, atque probatur. Ex eo namque amore deducitur homo ad objecta perquirenda, quae vel felicitatem constituunt, vel ad ipsam uti media conducunt. Et quoniam in cunctis creatis bonum essentiale, undequaque perfectum, ac idoneum ad voluntatem necessario pertrahendam reperiri nequit; inde fit, ut intellectus noster per plurima bona sive realia sive apparentia libere transcurrat, eaque simul conferendo, unum prae altero voluntati eligendum proponat. Hoc autem bonum peculiare, quodcumque illud sit, aliquem bo-

nitatis defectum habeat oportet; quod profecto malum est. Si in se malum aliquod continet; ergo sub duplici ratione tum boni tum mali repraesentari potest voluntati, in cujus arbitrio erit illud rejicere vel amplecti. Quantumvis igitur humana voluntas in bonum necessario tendat, seu felicitatem *in comuni;* nihilo secius, cum agatur de bono *in particulari* prosequendo, tum in inquirendis tum in eligendis objectis libertate potitur (1).

Ad 5. Per turpem equivocationem confundunt hic rerum notiones Hobbesius et Collinsius. Quocirca difficultatis nexum facile sic resolvimus. Posita causae sufficientis existentia, effectum eam consequi necesse est, si causa sit necessaria, concedimus; si libera sit, negamus. Item distinguitur minor: voluntas est causa sufficiens, et libera simul, concedimus; est causa sufficiens, et necessaria, negamus. Quo posito jam ruit consequens, quo inferebatur actus humanos libertate carere. Ad responsum in-

(1) Hoc idem argumentum sibi objicit Angelicus D. Quaest. 6. de malo artic. unic. ad 9., eique sic opponitur. — Dicendum, quod quando ad finem non posset perveniri nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem et ea quae sunt ad finem. Sed ita non est in proposito. Nam multis viis ad beatitudinem perveniri potest, et ideo licet homo ex necessitate velit beatitudinem; nihil tamen eorum, quae ad beatitudinem ducunt ex necessitate vult.

terim dilucidandum notamus cum praeclaro Dominicanae familiae scriptore, quod, adversante experientia, ipsaque naturali ratione, = falso supponitur omnes causas, quae sufficientes sint, debere etiam esse necessarias. Quamvis ergo verum sit, necesse esse, ut omnis effectus causam sufficientem habeat; tamen falsum est, omnem sufficientem causam necessariam esse; hoc est ita agere, ut non agere non possit. Quapropter, ut effectus producatur, requiritur necessario tum in causa libera, tum in necessaria proportionata virtus, tametsi haec virtus in illa libere, in hac autem necessario agat. Hinc fit, ut quando agunt causae naturales, tota sua virtute agant, si nihil habeant, a quo impediantur: ita lapis tota sua vi semper descendit, ignis tota sua efficacia semper comburit, corpora aequali ratione semper attrahuntur, atque in conflictu repelluntur. Contra autem causae liberae, cujusmodi est homo, modo majori, modo minori virtute agunt, nunc majori, nunc minori intensione, non solum res diversas, sed unam, atque eandem prosequuntur. Illud quoque inter liberas et necessarias causas discriminis intercedit; quod istae una eademque ratione semper agunt, illarum autem agendi ratio, prout eis visum fuerit, varia, atque diversa est, quemadmodum unicuique

manifestum erit, qui humanas actiones contempletur (1) =.

Ad 6. Adversarios non pudet stoicorum fatum in scenam reducere, cum tuto affirment, in rerum natura effectus et causas necessariis relationibus colligari, eisque et humanas subesse voluntates: quam doctrinam a Crysippo traditam refert Cicero lib. *de Fato*. Quamobrem inter causas *physicas*, et *morales* distinguere juvat. In causarum *physicarum* serie hanc connexionem haberi, adeo ut aliquo sensu quoad effectus eae dici possint necessariae, non dissentimus: at in causis *moralibus* nulla necessitatis relatio. Quaenam porro sint causae, e quibus pendere dicitur voluntas, modo videamus. Si de causa *interna* sermo sit, haec est ipsa vis inhaerens voluntati per quam animus se se determinat ad objectum prosequen-

(1) Cerboni Theologia natur. tom. 1. lib. 2. Quaest. 6. artic. 6. Vetera hic quoque revocant Hobbesius et Collinsius: eandem siquidem difficultatem jam longe antea impugnavit D. Thomas loc. sup. cit. ad 15. dicens: — Non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiam si sit causa sufficiens, eo quod causa potest impediri, ut quandoque effectum suum non consequatur, sicut causae naturales, quae non ex necessitate producunt effectus suos, sed ut in pluribus, quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa causa, quae facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate aliquid faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari, vel removendo talem considerationem, quae inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet, quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum — .

dum, vel rejiciendum: quae causa est efficiens, sed libera (1). Quod si causas *externas* adversarii intendant: tum instanter petimus, numne *increatae* sint vel *creatae?* Si aliqua ponatur causa creata appetitum excitans, haec nil aliud erit, quam species boni, quae in externis objectis apparet, quaeque ex hoc tantum dici poterit causa necessaria, quod saepe voluntatis praevenit determinationem; at quoniam ea non est efficiens actionem, et a philosophis *causa occasionalis* proprie appellatur, evidens est, voluntatem per nullam causam externam creatam necessario determinari. Fortasse tandem quis dixerit, necessitatem induci per causam increatam, a qua indubitanter pendet voluntas? Huic positioni absolutis verbis respondet D. Thomas 1. part. Quaest. 83. art. 1. ad 3. = Deus est, inquit, prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae: sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem =. Cum

(1) In id consentit Tullius ipse de Fato scribens: — Motus voluntarius eam naturam in se continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat, nec id sine causa. Ejus enim rei causa ipsa natura est — .

itaque ex dictis nulla necessitatis relatio inter causas morales earumque effectus habeatur, cum a nulla causa sive creata sive increata ad unum determinetur voluntas; nemo est, qui non videat hobbesiana sophysmata ne minimum quidem humanam libertatem labefactare.

Ad 7. In pyrrhonismum labitur Spinosa Ethices part. 3., eique libenter accedit Baylius in responsione ad Quaestion. provincial. part. 2., cum ambo mutuo conatu circa libertatis dogma tenebras offundant. Quorum ineptis dubitationibus ut occurramus, ultro concedimus imprimis, non omnes naturae leges, non omnes proprietates corporum philosopho innotescere; immo liberaliter quoque damus nostrarum volitionum indolem omnino perspectam non fore. Verum illationem ex hisce antecedentibus ab adversariis insipienter deductam merito improbamus. Quidquid enim sit de ignotis naturae legibus, de corporum arcanis proprietatibus, de volitionum indole, ac modo quo corpus a voluntate moveatur; non quidem ex hisce principiis latentibus vel dubiis suademur de causa libera in nobis existente, sed ab intimo animi sensu, ab ineluctabili rationum evidentia. Cum itaque in principiis cognitis simul ac certis haec universalis fundetur persuasio, neque ignorantiae

tribuenda erit, neque sanae mentis philosopho de tam perspicua veritate dubitare licebit.

Ad 8. Sed ibidem nos urget Spinosa, ac potissimum contendit, hominem ideo liberum non esse, quia non semper ideas revocare potest cum velit, aut eas repellere, quibus afficitur invitus. Hac ratione, quae risu prorsus excipienda videtur, satis adversarius demonstrat, se non attigisse veram libertatis notionem. Libertas namque non est illimitata potentia cuncta generatim quae volumus operandi, cum plurima velle possimus, quae a libero arbitrio non dependent; sed tantummodo sita est in facultate agendi, vel omittendi quidquid humanae potestati subest. Porro in rebus potestati nostrae minime subjectis ideae numerantur, quia saepe rationis usum praeveniunt. Ergo consequitur idearum necessitatem cum libero arbitrio apprime componi: idque eo magis apparet, quod per eas nunquam ad agendum animus compellitur, neque impeditur, quin pro libito ad alia determinetur. Non minus quam Spinosa hic quoque delirat Helvetius, dum in actibus humanis totidem conspicit effectus immediatos ac necessarios perceptionum, quae ab externis objectis oriuntur. Principium hujusmodi legitimum est consectarium putidi systhematis, quo

scriptor incredulus *physicam sensibilitatem* homini unice tribuens eum brutorum conditioni adaequare non veretur. At quoniam una simul ex adverso clamant tum intimus omnium sensus, tum ratio naturalis, si, quam fidenter asserit, necessitatem probare valebit, magnus hercle is nobis erit Apollo. Circa ea tandem, quae dictitant adversarii de corporis temperamento, dispositione ac instinctu animum necessario ducente, non diffitemur hominem ad unum prae alio naturaliter inclinari, quosdam in unum potius, quam in aliud virtutum genus propensiores esse, sic de vitio dicatur. Sed quis unquam neget, naturalibus hisce inclinationibus animum obsistere posse, imo revera saepissime obsistere? Virtutem a pluribus coli nemo sane inficiabitur. Atqui in appetitu sensitivo compescendo virtutis exercitium praecipue consistit. Non igitur a corporis temperamento, neque ab instinctu necessario agitur humana voluntas (1).

Ad 9. Denique singulas animi operationes cate perpendit Collinsius, atque, uti putat, irresistibili conatu in libertatem impetum facit. Cum vero tanti argumenti vis in minori sistat propositione, quam demonstrare praesumit; hinc eam per partes scrutemur.

(1) Vide D. Thomam 1. parte Quaest. 83. artic. 2. ad 5.

Ideae si a *sensationibus* proveniant, ab externis objectis necessario pendent: hoc haud invite fatemur, simulque contendimus, liberum earum necessitate non ledi ex probatis in responsione ad 8. Contra vero; si ab *animi consideratione* procedat idearum repraesentatio, haec necessaria non est, sed dominio subest voluntatis: nam consideratio idem est ac cogitatio; *potest* autem *aliquis de quocumque objecto cogitare, vel non cogitare* (1). Nec obstat adversarii ratio ex eo deducta, quod qui cogitat nequit sibi conscius non esse de propria cogitatione; id enim hoc unum ostendit, proprium esse cujusque naturae liberae cum cognitione operari. Quod ad judicium attinet, si de propositione certa agatur, nequit animus eidem non assentiri, cum talis sit certitudinis ratio, ut per eam intellectus ad assensum necessario inducatur. Quod si de probabili vel dubia propositione sermo sit, animus ad assensum non adstringitur, sed judicium suspendere potest, novum de re controversa examen instituere, atque opinioni nondum certo exploratae non acquiescere: quae cuncta profecto necessitatem excludunt. Circa velle et operari animadvertimus, opus equidem fore ex contradictionis principio, ut

(1) Ibidem Quaest. 10. artic. 2.

animus velit aut nolit, agat vel non agat: veruntamen per hoc non infirmatur libertas, cui semper manet inter alterutrum ex duobus contradictoriis electio. Quemadmodum porro liberum arbitrium elucet in potentia electiva, qua animus gaudet; ita et in facultate suspendendi electionem perspicitur. Verum est, nullum dari medium quo flectat voluntas inter suspendere et non suspendere ex eodem principio contradictionis; ast neque id valet ad libertatem coarctandam, quia facultas suspendendae vel non suspendendae electionis est ipsa vis electiva, in qua activa indifferentia consistit (1). Etiamsi ergo ad trutinam revocentur animi operationes, minime consequitur quod infert absurde Collinsius, sed luce clarius voluntarium coruscat.

CAPUT TERTIUM

DE VOLUNTARII IMPEDIMENTIS.

§. XXIII.

Quoniam ad voluntarii naturam attinet praevia eorum cognitio, in quibus est actio,

(1) Huic responsioni congruunt verba D. Augustini l. 5. de Civ. D. Cap. 10. scribentis: — Cum dicimus, necesse esse, ut cum volumus libero velimus arbitrio; et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quae adimit libertatem — .

nec non voluntatis sive spontanea, sive libera inclinatio, jam liquido patet, involuntarium ex iis procedere causis, quae intellectus cognitionem impediunt, vel animi propensioni adversantur. Unde merito cum Aristotele lib. 3. Ethicor. cap. 1. involuntarium definiri potest *id omne, cui deest aliquod ex requisitis ad voluntarium.* Communiter involuntarii species duplex assolet numerari: unum dicitur involuntarium *simpliciter,* aliud *secundum quid.* Primum illud est, quod citra omnem cognitionem, aut contra deliberationem voluntatis contingit. Sic involuntarii simpliciter sunt motus, qui primo-primi appellantur, quique in homine insurgunt absque voluntatis concursu, imo etiam ea penitus reluctante. Alterum est, quod, licet in se spectatum voluntati displiceat, sub aliquo tamen respectu ab ipsa ob circumstantias peculiares eligitur. Ejusmodi est projectio mercium facta metu naufragii, quae in se considerata cum aegre feratur involuntaria est secundum quid, etsi placeat utpote ad vitam servandam necessaria. Plures a theologis referuntur involuntarii causae, quae ut rite determinentur, praenotandum est, quatuor in voluntario reperiri; praeviam nempe cognitionem, principium agens intrinsecum, voluntatis inclinationem, indifferentiam activam, seu liberum arbi-

trium. Hisce autem totidem opponuntur impedimenta, quae sunt *Ignorantia*, *Metus*, *Violentia et Concupiscentia*. Quatuor igitur ex causis voluntarium minui potest, vel auferri, de quibus per distinctos articulos particulatim.

ARTICULUS PRIMUS

De Ignorantia.

§. XXIV.

Cognitionis debitae privatio proprie ac praecise *ignorantia* dicitur, ac differt tum a *nescientia*, quae est defectus cognitionis eorum, quae quis noscere non tenetur, tum etiam ab *errore*, quia per eam illud ignoratur quod est, per hunc aliquid diversnm ab eo censetur quod est. Tripliciter ignorantia dividitur: ac 1. ratione objecti, seu rei, circa quam versatur, aut *juris* aut *facti* ea esse potest. Refertur ignorantia juris ad legis existentiam ejusque obligationem; uti si quis legem ignoret vetantem rei alienae possessionem, domino invito, vel si eum lateat affinitatem aut ordinem impedimentum fore dirimens conjugium: ea porro diversa erit pro legum varietate; unde alia ignorantia vocabitur juris naturalis, alia juris positivi divini vel humani. Ignorantia facti

ea est, qua, posita quidem existentiae et obligationis legis cognitione, quis nescit, factum aliquod legi adversari. Hujusmodi ignorantia laborat qui sciens, nefas esse, rem alienam, invito domino, retinere, invalidum fore conjugium inter affines, vel ab eo contractum, qui sacris in ordinibus est constitutus, non agnoscit tamen, rem quam possidet alienam fore, affinem sibi esse mulierem, quam ducit uxorem, aut eum, qui matrimonio copulatur, majores ordines recepisse. 2. Ratione actus, cujus est causa distinguitur ignorantia in *antecedentem*, *concomitantem* et *consequentem*. Prior voluntatis consensum omnino praevenit, et causam praebet actioni, adeo ut per eam animus velit quod, ipsa remota, non vellet. Altera comitatur actionem, nec tamen illius est causa, cum ea fieret quoque si ignorantia abesset: ex quo infertur, indifferentem hanc prorsus esse ad actionem, eique nullam addere vel auferre moralitatem. Postrema denique ignorantia est, quae non actionem consequitur, sed deliberationem actionis, adeo ut animus ad agendum paratus sit, quantumvis ignoret circa quae actio versetur. Hanc porro vel *directe* operans intendit, cum expresso ac positivo consensu eam velit ut liberius agat, vel *indirecte* tantum si per ignaviam addiscere negligat quae scire

posset atque deberet. 3. Demum ratione subjecti ignorantia aut *vincibilis* esse potest, aut etiam *invincibilis*. Illa, cum vinci possit ac debeat, a consequente non differt, et *affectata* nuncupatur si directe, *crassa* vero et *supina* si indirecte a voluntate procedat: ista cum antecedente confunditur, nec ullo pacto vinci potest, etiamsi ad eam depellendam debita diligentia adhibeatur (1).


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

§. XXV.

Ad vincibilem et invincibilem omnes ignorantiae species referunt sacrae theologiae scriptores in imputatione actuum humanorum investiganda. Qua de re inspiciamus oportet, num et quando utraque haec ignorantia imminuat vel adimat voluntarium. Prae primis itaque si de ignorantia vincibili sermo instituatur, animadvertimus, per eam voluntarium non tolli, quia cum agens eandem vincere queat et nolit, ipse est propriae ignorantiae causa vera, et efficiens. Probe tamen inter ignorantiam affectatam et crassam distinguere necesse est. Qui consilia recusat, qui cohortationes refugit ne instruatur, ne corrigatur, qui, uno verbo, ignorantiam affectat, eo fine vult ignorare

(1) Vid. D. Thom. 1. 2. Quaest. 6. art. 8. et Quaest. 76. art. 3. et 4.

Digitized by Google

quod scire tenetur, ut, conscientiae morsibus repressis, facilius cupiditatibus indulgeat, ac in peccatis tabescat. Sed in hac agendi ratione major quaedam deliberatio, major proclivitas ad peccandum apparet. Ignorantia igitur affectata, quin auferre vel minuere valeat voluntarium, illud potius adauget (1). Aliter de ignorantia crassa dicendum, quae licet non auferat omnino, semper tamen voluntarium extenuat. Qui etenim vi hujusce ignorantiae operatur, ita affectus jure praesumitur, ut si de actione scientiam haberet, eam profecto non poneret. Sed agentis opus in hoc casu est involuntarium secundum quid. Ergo per ignorantiam crassam voluntarium minuitur. Exinde merito concludunt theologi, ignorantiam vincibilem non affectatam *a tanto, non a toto* excusare. Ad eam ignorantiae speciem modo procedamus, circa quam a catholicis novatores dissentiunt. Lutherus scholasticis infensissimus eos vehementer arguit in cap. 1. Geneseos, quod ignorantiam invincibilem a culpa excusare doceant, eique suffragatur Jansenius lib. 2. de Statu na-

(1) Nefarium hoc ignorantiae genus arguit David Ps. 35: v. 4. ubi hominis perditi scelera describens ait: — Nolnit intelligere ut bene ageret —. Huc pertinent etiam verba Job. C. 21. v. 14. — In puncto (impii) ad infernnm descendunt. Qui dixerunt Deo: recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus —.

turae lapsae cap. 2. (1). Verum non scholastici dumtaxat, in quos tam rabide obstrepit Lutherus, sed orthodoxi omnes cum Ecclesia catholica veritatem hujusmodi profitentur. Quae veritas, ceteris etiam praetermissis, perspicue ostenditur hoc ineluctabili rationis argumento. Si ex adversariis a peccato formali non excusaret ignorantia invincibilis, homo, cum teneatur culpam vitare, ad eam vincendam adstringeretur. Sed vincere ignorantiam id generis ex superius definitis impossibile est. Ergo in hypothesi homo teneretur ad impossibile. Id vero absurdum est, nam ut ait Synodus Tridentina Sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet.* Ergo ad hanc ignorantiam vincendam homo non tenetur. Ergo a peccato formali excusat ignorantia invincibilis. Porro ignorantia nequit a peccato formali excusare, nisi quatenus nec in se neque in causa voluntati imputatur. Ex demonstratis ergo plane colligitur ignorantiam invincibilem voluntarium penitus auferre (2).

(1) Jansenianam doctrinam damuatam legimus in seq. prop. quam Alexander VIII. au. 1690. proscripsit: — Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu uaturae lapsae operautem ex ipsa uou excusat a peccato formali —.

(2) Veritas jam probata firmatur D. Augustiui auctoritate, qui lib. de duab. auim. Cap. 12. haec scribit; — Dicere peccati reum teneri quemquam, quia nou fecit quod facere non potuit summae iuiquitatis est —; et lib. 3. de lib. arb. Cap. 18: — Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? —

§. XXVI.

Veruntamen dari ne potest haec, de qua disseritur ignorantia invincibilis? Quoad ignorantiam facti affirmative reponimus, cum persaepe contingat, ea nos invincibiliter ignorare, quae ab alterius facto dependent. Idipsum de ignorantia asserimus juris positivi: leges quippe nonnisi promulgatione innotescunt, quae absenti potest ut plurimum latere. At circa ignorantiam juris naturalis theologica non levis momenti controversia nobis occurrit. Quae ut apprime intelligatur, advertendum est praecepta juris naturalis ad tria genera posse referri. Ad primum spectant praecipua quaedam et universalia principia; scilicet = Bonum est prosequendum, malum vitandum = Deus est colendus = Jus suum cuique tribuatur = Quod tibi non vis, alteri ne feceris =, aliaque similia. Ad alterum ea pertinent, quae facili discursu ab iisdem principiis ceu conclusiones proximae deducuntur; uti non occides, non furaberis, et cetera Decalogi praecepta. Tertium genus eorum est, quae ex primis principiis mediate tantum per longas,

et ibid. Cap. 19. — Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras —.

Videatur hac de re Card. Gotti theol. scholast. dogmat. tom. 7. tract. de Actib. human. Quaest. 1. dub. 7. §. 4. 5. et 6.

implexasque ratiocinationes inferuntur, quaeque idcirco *remotae* appellantur *conclusiones*. Talia sunt praecepta, quae nonnullos vetant contractus, qui usuram involvunt, etiamsi evidenter injusti non appareant. Hisce in antecessu praelibatis, ad controversiae statum propius accedamus. Jam in confesso est apud omnes de prioribus juris naturae principiis, eorumque proximis conclusionibus ignorantiam invincibilem dari non posse (1). Lex naturalis enim in cordibus hominum adeo insculpta est, ut per noxam originalem non fuerit deleta. Hujusce legis vim et imperium in se quisque experitur, et, nisi propriae deceptionis causam posuerit, tum primi tum secundi generis praecepta facile dignoscit. Hinc patet eum inexcusabilem fore, qui e. c. censeret actum pietatis esse mortem infirmis properare, ut ocius mortales angores evadant; vel qui, fidelium infante clam baptizato, illum interficeret, ne, cum dehinc adolesceret, a parentibus superstitione corruptus damnaretur. Quod si ad conclusiones remotas deveniamus, inquirentes, anne de iis detur ignorantia invincibilis: pro parte negativa pugnant nonnulli, inter quos praesertim auctor Theolo-

(1) — Ad legem naturalem, inquit D. Thomas 1. 2. Quaest. 76. art. 3. pertinent primo quidem quaedam praecepta communissima, quae sunt omnibus nota —.

giae Lugdunensis, qui tom. 7. Institut. dissert. 1. ad suae causae tutamen Alexandri Alensis, Alphonsi de Castro, Gersonii, Contensonii, aliorumque in medio profert auctoritatem (1). Nos tamen doctrinam graviorum pene omnium theologorum sectamur, qui circa hasce conclusiones invincibilem ignorantiam dari posse, imo revera dari firmiter ostendunt. Ad assertae veritatis confirmationem tria potiora heic afferantur argumenta.

1. Recentiores juris naturae conclusiones eae sunt, quae ex principiis generalibus difficulter eliciuntur. Sed plerique hominum impares omnino sunt vel ob ingenii tarditatem, vel ob mediorum defectum ad abstrusas disquisitiones instituendas. Ergo pro iis absolute impossibile est ejusmodi conclusiones attingere.

2. Ea invincibiliter ignorantur, quorum cognitio, positis etiam magnis naturae et gratiae auxiliis, nequit obtineri. Atqui multae sunt veritates e juris naturae principiis generalibus profluentes, quae nec hisce concurrentibus auxiliis agnosci possunt: nam pluries de iisdem neque inter se conveniunt viri sapientia simul ac pietate insignes, Ec-

(1) Alexand. Alens. tom. 2. oper. Alphons. de Cas. lib. 2. de potest. leg. poenal. cap. 2. Gerson. lib. de vita spirit. lect. 4. Contenson. tom. 3. dissert. 6.

clesiae scilicet Patres atque Doctores. Rursus igitur concludamus, ignorantiam invincibilem haberi posse de consectariis, quae a jure naturali remote descendunt.

3. Si jam super citatos excipiamus oppugnatores, quibus adjiciendus est Vincentius Patutius (1), omnes fere Thomistae huic adhaerent sententiae, quibus, nullo praetermisso, addendi sunt probabilistae scriptores. Si ergo ex unanimi quoque theologorum auctoritate judicium proferre velimus, aliud amplissimum pro re nostra obtinebimus argumentum (2).

§. XXVII.

Communi, veraque doctrina satis hactenus firmata, operae pretium nunc est adversantium objecta referre simul atque oppugnare. Duplici ex capite, inquiunt, auctoritate nimirum ac ratione contraria thesis roboratur.

1. Namque legitur Ps. 24. v. 7. *Delicta*

(1) Sub ementito nomine Adelphi Dosithei suam is tradit opinionem in peculiari dissertatione, quam impugnat B. Alphonsus de Ligorio theol. lib. 1. tract. 2. de legib. Cap. 4. dub. 1.

(2) Prae ceteris consuli poterunt Divus Antoninus p. 2. tit. 2. Cap. 11. §. XXVIII. Laurentius Berti theolog. discipl. t. 2. lib. 21. Cap. 10. Gotti loc. sup. cit. dub. 7. §. VII. Gonnetus in Clypeo theolog. t. 3. disput. 1. art. 4. Tournelii continuator t. 1. de Act. hum. Cap. 2. art. 3. conclus. 3. Antoine theol. mor. de peccatis Cap. 4. Quaest. 6. ac praecipue Gerdilius de peccat. tom. 16.

juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris Domine: item in Evangelio Lucae cap. 12. v. 48. *Qui non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit.* Unde sic concludi posse videtur. Si regius Psaltes humiliter veniam a Deo poscit culparum, quas scienter non modo, sed etiam ignorans admiserat; si peccans ex defectu cognitionis poenam non evadit: ergo nulla datur juris naturalis ignorantia invincibilis. Huic conclusioni subscribitur Romanus Pontifex Bonifacius VIII. de reg. juris 13. in 6. dicens: *Ignorantia facti, non juris excusat.*

2. Legis naturalis ignoratio quoad remotiores etiam deductiones a nobis tantummodo oritur veluti a causa voluntaria, quia vel debitam solertiam in veritate perquirenda non adhibemus, vel gratias, uti par est, a Deo non postulamus ad ejus legem agnoscendam necessarias. Dicendum ab omnibus esset cum David Psalm. 118. et 142. *Doce me justificationes tuas: doce me facere voluntatem tuam.* De superna ope forte dubitandum? Hanc nobis ipse Servator Christus pollicetur Joan. cap. 16. v. 24. ubi ait: *petite, et accipietis.* Quibus jam positis, necessario eruitur, nullam juris naturalis ignorantiam haberi, quae vincibilis non sit, ideoque culpabilis.

Nullum vero negotium haec, quae obji-

ciuntur nobis facessunt, cum singulis praesto sit bina responsio.

Atque ad 1. paucis animadvertimus, ignorantias, de quibus David veniam deprecatur, eas esse culpas, quae in puerili aetate plenae cognitionis et advertentiae defectu ut plurimum perpetrantur, quaeque differunt a delictis juventutis utpote ab aestu cupiditatum procedentibus. Itidem ignorantia, ad quam referuntur Evangelii verba, ideo culpabilis est, quia haberi praesumitur circa Decalogi praecepta, quae profectò invincibiliter ignorari nequeunt, nam vel ipsa communia sunt juris naturalis principia, vel ab iis proxime dimanant (1). Nihil ergo probare poterunt adversarii ex allatis SS. Scripturarum locis, quae, uti perspicuum est, ad remota consectaria minime pertinere videntur. Neque rem prorsus tangit opposita regula juris, cum ea non de lege naturali, sed de civili tantum intelligatur, hoc est de statutis forensibus, quae si promulgata fuerint, eorum ignoratiò neminem excusat.

Ad 2. Ignorantiam, de qua hic disseritur, nobis imputandam non esse ex eò luculenter noscimus, quod praestantiores sacrarum rerum scriptores, uti praenotavimus (§. XXVI),

(1) Vide Augustinum Calmet tom. 4. et 7. Commentar., ceterosque Hagiographorum interpretes.

imo et SS. Patres nonnulli, qui certe nec studium neglexerant, neque orationem, plura minus conformia legis naturalis principiis interdum docuere (1). Porro si quaevis ignorantia invincibilis eliminanda sit, culpandi forent hujusmodi sanctissimi Viri, cum adversus naturae legem errores tradiderint. At vero non constat eos errata emendasse. Non modo igitur ut Sancti haud essent colendi, sed prudenter potius suspicandum perpetuam damnationem eosdem non evasisse. Quod consequens cum absurdum sit; absurda et hypothesis erit ignorantiam invincibilem excludens, unde, veluti ab antecedente illud legitime ac necessario deducitur. Addendum postremo quoad Christi promissum *petite et accipietis,* duplex luminis genus in homine haberi posse. Primum est supernaturale, quod nobis rite petentibus dabitur, ut ea cuncta, quae media sunt ad salutem omnibus necessaria, dignoscamus. Quocirca si hujusce luminis defectu in legem quis delinquat, ejus ignorantia indirecte volita erit, ideoque inexcusabilis, cum per orationem vinci potuisset. Altero, quod est naturale, per vires intellectus morales attinguntur veritates, quae

(1) Videantur D. Antoninus 1. p. tit. 3. Cap. 10. §. 1. Xistus Senensis Bibl. sacr. adnot. 89. et Morinus de Sacram. ordin. p. 3. exercit. 9. Cap. 9.

quamvis remote spectent ad juris naturalis principia, nihilominus vim legis generatim habere nequeunt, quia non satis promulgatae. Quarum rerum cognitio, cum omnibus ad salutem necessaria non sit, ad eam comparandam nec lumen Deus promisit, neque conferre tenetur. Saepe igitur, utroque lumine circa remotiores juris naturae conclusiones deficiente, ignorantiam invincibilem de iis contingere necesse est.

ARTICULUS SECUNDUS

De Violentia.

§. XXVIII.

Violentia, si accurate loqui velimus, a coactione maxime differt. Haec in solis agentibus animatis ac ratione praeditis habetur, cum voluntario spontaneo officiat: illa datur in rebus inanimatis, sicuti e. c. in lapide alicubi projecto, cujus motus proprie violentus dicitur, non coactus. Verum in moralibus utraque vox indiscriminatim assolet eadem sumi significatione. Violentum porro definitur *quod est a principio extrinseco, in contrarium eo renitente, cui vis infertur.* (1). Quo posito, ad violenti naturam

(1) Ab Aristotele lib. 3. Ethicor. Cap. 1. hanc definitionem excipiunt Joan. Damascenus de fide orthod. lib. 2. cap. 24. et Angel. Doctor 2. 2. Quaest. 175. art. 1.

commode perspiciendam haec praecipue attendamus.

1. Cum ex definitis violentum ab externo oriatur principio, jam consequens est, illud directe adversari naturae voluntarii, quod (uti vidimus §. IV.), ab intrinseco principio descendit.

2. Eadem ex causa jure dicimus, voluntatem nunquam sibimet inferre posse vim proprie dictam, secus posset velle simul ac nolle, quod contradictionem includit.

3. Quamquam ad violentum opus sit, ut vi extrinsecae patiens resistat, *actualis* tamen repugnantia necessaria non est, sed requiritur saltem ac sufficit *virtualis*. Ea propter vera violentia erit quae in hominem exercetur somno vel ebrietate correptum, si in fluvio demergatur; hic enim invitus et reluctans jure praesumitur, quia, si vigilans, mentisque compos foret, in sui occisionem non consentiret.

4. At si quis passive tantum se gerat, tum violentum non aderit, cum nullo modo patiens repugnet: id eo magis concludendum, si ponamus quempiam velle pati vim extrinsecus illatam. Hac de re audiatur Divus Thomas 1. 2. Quaest. 6. art. 5. ad 2. dicens: = Cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo, qui patitur, voluntate patiendi, non est simpliciter violentum, quia

licet qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati =.

§. XXIX.

Hisce de violenti natura obiter exaratis, rescire decet potissime, utrum in suis actibus cogi possit voluntas. Si de actibus sermo sit, qui *imperati*, et *externi* appellantur, quosque per exteriores potentias sibi subjectas voluntas exercet, eam cogi posse tuto defendimus. Invita namque voluntate, cuique patet, ad actus positivos vi extrinseca impelli posse corporis sensus, aut etiam, ne quid agant, praepediri a causis vim inferentibus, quales sunt carcer, vincula, compedes, aliaque id genus, quae membrorum externorum physicas operationes impediunt. Quae cum ita sint, nemo unus inficiabitur, quoad *actus externos imperatos* vim perpeti quandoque posse voluntatem. Contra vero aeque indubitatum est, animum nullam pati posse violentiam, tum circa *actus imperatos internos*, qui per intrinsecas potentias, memoriam nempe, intellectum vel phantasiam perficiuntur; tum praesertim circa actus mere *elicitos*, veluti amorem aut odium, qui actus immediate a voluntate procedunt. Hujusce rei veritas certe quidem apparet, si consideremus, voluntatem fore principium intrinsecum operans, nulli subjici in iis quae

interius fiunt causarum externarum influxui, nec aliter quam a proprio arbitrio ac propensione determinari (1).

§. XXX.

Verum, etiamsi detur, causas extrinsecas et naturales in humanis actibus internis violenter non influere, nonne pro lubitu id poterit supernaturalis causa praestare? Hoc revera fieri plane ostendunt Proverbiorum verba cap. 21. v. 1. *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Accedit insuper, quod hic agendi modus divinae Omnipotentiae summopere conveniat. Nam si Deus potuit voluntatem homini conferre, cur item non poterit ipsi coactionem inferre? Hac mirabili sane ratione Christus per gratiam efficacem Saulum devicit, cum ei ab equo prolapso, humique jacenti vox irresistibilis intonuit *Durum est contra stimulum calcitrare.* (Act. Apost. cap. 9. v. 5.)

Ab hisce, quae speciem quamdam veritatis exhibere videntur, nullo expedimur labore, si quo pacto Deus voluntates hominum regat sedulo expendamus. Admissa interim infallibili Proverbiorum auctoritate, dicimus, *cor regis* non modo, sed et omnium

(1) Vide sis D. Anselmum dialog. de lib. arb. cap. 6. D. Thomam 1. 2. Quaest. 6. art. 4. et Gotti t. 7. de Act. hum. Quaest. 1. dub. 4.

hominum vere in *manu Domini* fore, quatenus efficacibus, suavibusque divinae gratiae motionibus humana voluntas, intacta semper libertate, ad bonum prosequendum inclinatur. At quorsum hic vis et coactio reperitur voluntatis? Dei Omnipotentiam aequo animo fatemur; ultro concedimus ab ipsa pendere hominis velle, sicuti et existere et vivere: sed voluntatem in actibus internis per eam cogi posse, id prorsum negamus. Quid enim est voluntatem cogere, nisi efficere, ut voluntas aliquid velit, cum simul adversetur ut nolit? Ibi igitur contradictio. Sed contradictorium utpote absurdum alienum est ab Omnipotentia Divina. Deus itaque ideo quod Omnipotens est humanam cogere nequit voluntatem. Hinc eruitur, quid brevi de Saulo respondendum? *Durum* enimvero illi erat *contra stimulum calcitrare*, divinis nempe obsistere consiliis: Ecclesia namque dextera Altissimi fundata eo validius firmabatur, quo infensius hic fidelium insectator eam evertere moliebatur. Minantem porro Saulum Christus domuit prius vehementi terrore; inde novam veteri superaddidit propensionem, nullaque cogente vi, lupum repente in agnum commutavit (1).

(1) Non absimili modo haec difficultas enodatur per ea, quae tradit Angelicus Doctor Quaest. 22. de Veritate art. 8.

§. XXXI.

Quibus omnibus explanatis, prae ceteris inquirendum superest, an et quomodo violentum minuere vel auferre valeat voluntarium? Qua in re distinctionem praemittimus inter *violentiam absolutam*, et *violentiam secundum quid.* Prima est, quam quis superare nequit, etiamsi causae vim inferenti toto possibili conatu resistat: altera in eo habetur, qui reluctat quidem, sed non quantum posset ac deberet. Si de violento *absoluto* agatur, indubium est per illud voluntarium penitus auferri. Etenim actus vi absoluta extortus ab extrinseco principio venit, eique adversatur voluntas, quae pro viribus refugit actionem. Sed voluntarium est a principio intrinseco, et ab animi propensione. Quidquid ergo fit per violentiam absolutam est omnino involuntarium. Exinde jam liquet, non peccasse martyres, dum persecutionum aevo coram idolis genuflectere, ac thus adolere vi absoluta adigebantur. Secus vero contingit de violento *secundum quid;* in eo quippe semper aliqua manet voluntarii ratio minor vel major, quo magis aut minus obstat voluntas. Quapropter actiones ab hac violentia procedentes ex uno capite jure dicuntur *voluntariae simpliciter*, ex alio *involuntariae secundum quid.*

Ex dictis colligitur, qua de causa fideles lapsos, qui nempe suppliciis perterriti et victi deos inanes coluerant, veluti gravi crimine adstrictos publicae poenitentiae subjiceret Ecclesia; sed mitius tamen cum ipsis ageret, quam cum iis qui nulla vi coacti fidem sponte abdicaverant.

ARTICULUS TERTIUS

De Metu.

§. XXXII.

A jurisperitis definitur metus *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio* (1). Plura circa metum ratione vel causae, vel actionis, vel subjecti consideranda nobis obveniunt.

1. Igitur ex parte causae, unde consequitur, si haec interna sit aut naturalis, *ab intrinseco* metus provenire dicitur: *ab extrinseco* autem, si directe ab agente libero ad consensum extorquendum juste vel injuste fuerit incussus.

2. Ex parte actionis metus sive *antecedens*, sive *concomitans* esse potest. Antecedit, quando voluntatem ad operandum excitat, atque *totalis* vocatur si nullum, *par-*

(1) L. 4. digest. tit. 2.

tialis si praeter metum diversa quoque motiva quempiam determinent ad actionem: comitatur, si actio non ex metu, sed cum metu fiat.

3. Ex parte subjecti, seu personae, quae metu afficitur, hic *in levem*, et *gravem* distinguitur. Prior est inquietudo voluntatis leve malum imminens aversantis: alter vel *absolute* gravis est, vel *respective*. Ad metum absolute gravem opus est, ut malum, quod timetur sit vitatu difficile, ut moraliter certo immineat, ut sit maxime noxium, quemadmodum foret mors, gravis mutilatio, carcer, vel bonorum jactura. Tribus hisce una concurrentibus, metus appellatur *cadens in constantem virum*, quia cordatus etiam homo tali formidine concutitur. Metus denique respective gravis ea est mentis trepidatio, quae quamvis per se virum constantem non moveret, aliquem tamen movet, cum propter indolem, apprehensionem, sexum, aetatem, aliaque adjuncta imminentis periculi gravitatem eidem repraesentat. Haec sunt, quae de metus natura ac divisionibus Theologi uno consensu tradere solent.

§. XXXIII.

In decernendo an metus voluntarium afficiat, non est cur de concomitante et levi disseramus: cum enim unus causam non

praebeat actioni, cum alter facile sperni queat, jam plane constat, neutrum ledere voluntarium. Tota igitur controversia versari potest circa metum antecedentem et gravem sive ab intrinseco, sive ab extrinseco procedentem. Qua in re probe notandum est, per metum hujusmodi actiones effici voluntarias *simpliciter*, involuntarias *secundum quid*. Nam ex uno capite ab efficaci animi propensione oritur actus, non exclusa ipsius actus cognitione, hoc est omnibus gaudet requisitis ad essentiam voluntarii. Ex alio vero capite quadam cum repugnantia fit actus; quae repugnantia, licet inefficax, ostendit adversantem operantis dispositionem si diversae forent circumstantiae. Unde patet, agentem efficaciter velle, nolle autem inefficaciter. Verum in primo casu habetur voluntarium *simpliciter*, in posteriori involuntarium *secundum quid*. Ergo tum voluntariae *simpliciter*, tum involuntariae *secundum quid* sunt actiones, quae ex metu gravi antecedente proveniunt. Voluntarium igitur hac de causa non tollitur, sed coarctatur, eoque magis quo gravior est metus determinans ad actionem (1). Imo nonnunquam ingens adeo metus esse potest, ut

(1) Consulantur D. Thomas 1. 2. Quaest. 6. art. 6. et Laurent. Berti theolog. discipl. tom. 2. lib. 21. Cap. 1.

intellectum omnino perturbet, ut debitam cognitionem impediat. Quod si per accidens eveniret, actio tum indeliberata prorsum evaderet.

§. XXXIV.

Heic porro Theologi exquirunt, num gravis metus a transgressione legis exouset? Proposito dubio ut rite satisfacere valeamus, de lege naturali vel positiva agi posse in antecessu monemus. Quoad legem naturalem animadvertimus pariter ad duo genera ejusdem praecepta referri. Alia *affirmantia* nuncupantur, quae uti ajunt scholastici, obligant *semper, sed non pro semper:* tale est praeceptum eleemosynae, vel fraternae correptionis. Alia *negativa* sunt, quae *semper et ad semper* devinciunt, veluti praeceptum non blasphemandi, non occidendi. Objectum autem, circa quod haec postrema versantur vel per nullum adjunctum licitum fieri potest, quia intrinsece malum est, vel quibusdam in circumstantiis cohonestatur. Ad primam speciem attinent praecepta non mentiendi, non pejerandi: ad alteram praecepta, quibus homicidium, et furtum interdicuntur. Qualescumque etenim sint operantis circumstantiae, mendacium aut perjurium nulla in hypothesi licebit: sed contra fas erit quandoque occidere, quandoque fu-

rari, cum agatur vel de improbo extremis suppliciis juste necando, vel de summa egestate, in qua constitutus homo etiam vi, si opus fuerit, ex alienis necessarium sibi poterit comparare ob praevalens juris naturae principium, quo propriam vitam quisque servare tenetur. Hisce praejactis abs re non erit sequentia statuere principia.

Certum est 1. metum gravem generatim excusare a transgressione praeceptorum legis naturalis, quae affirmativa appellantur. Ea namque praecepta cum vitae discrimine communiter non adstringunt, quia non obligant *ad semper*, sed quo tempore oporteat juxta prudentiae moderamen, et caritatis ordine servato. Diximus *generatim;* cum ab hac regula nonnulli excipiantur casus, in quibus ad bonum publicum vel spirituale proximi interest praecepti observantia. Si ergo formidine mortis stationem desereret miles, si Parochus ad pestilentiae declinandum periculum fideles sibi commissos absque Sacramentorum subsidiis decedere sineret, a violatione legis naturalis neuter ob metum excusaretur.

Certum est 2. a violatione quoque praecepti negativi metum gravem excusare, modo tamen res vetita intrinsece mala non sit; et sub aliqua circumstantia cohonestari possit. Ratio quippe naturalis tum edocet nul-

lam fore propter vitae discrimen praecepti obligationem, quemadmodum apparet in casu injustae aggressionis, quam cuique, moderamine servato, repellere licet, etiamsi aggressoris mors inde consequatur.

Certum est 3. metum utcumque gravissimum non excusare in iis, quae ex se, atque intrinsece mala sunt, quia malum culpae quamquam leve semper quovis malo poenae deterius est: quocirca neminem latet, nefas esse mentiri, blasphemare, pejerare ad mortem, aliamve poenam corpoream evadendam.

Certum est 4. metum gravem a legis positivae sive divinae sive humanae violatione excusare, seclusis casibus, in quibus vel objectum legis vetitum sit utpote intrinsece malum, vel publico aut spirituali proximi bono obsit praecepti violatio. Hujusce principii rationem ex eo deducimus, quod cum lex positiva vim obligandi nanciscatur a libero Dei vel hominis arbitrio, praesumendum non est Divinum, eoque magis humanum legislatorem ad legem tanto cum discrimine implendam subjectos adigere velle.

ARTICULUS QUARTUS

De Concupiscentia.

§. XXXV.

Inclinatio ad aliquid apprehensum ut bonum *appetitus* vocatur. Hic porro vel *rationalis* erit si ejus objectum sit bonum spirituale, vel *sensitivus* si in objectum sensibile ac corporeum feratur. Appetitus sensitivi motus *passiones*, seu *concupiscentiam* philosophi appellant. Hinc definitur concupiscentia *motus appetitus sensitivi inclinans voluntatem ad bonum sensibile prosequendum.* Concupiscentiam secundum se peccatum non fore, dogma catholicum est a Tridentino jam definitum Sess. 5. in decreto de peccato originali N. 5., cujus haec sunt verba: = Cum ad agonem relicta sit (concupiscentia) nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet.... Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit =. Unde merito a SS. Pontificibus Pio V. Gregorio XIII.

et Urbano VIII. proscripta fuit haec Baj propositio = Motus pravi concupiscentiae pro statu hominis vitiati sunt prohibiti praecepto *non concupisces:* Unde homo eos sentiens et non consentiens transgreditur praeceptum =.

§. XXXVI.

Cum igitur ab originis labe necessario sit concupiscentia, neque secundum se ad culpam imputetur, jam consequens est, eam voluntariam non fore, dummodo ejusdem blandimentis viriliter homo resistat. Verum si praebeat assensum, tum haec profecto in voluntarium influit vel *antecedenter* vel *consequenter.* Antecedens dicitur concupiscentia, quae in appetitu sensitivo ex objecti sensibilis apprehensione ante voluntatis deliberationem excitatur, et animum ad illud prosequendum inclinat. Talis est vindictae motus in homine exurgens dum illi fortuito adversarius occurrit. Concupiscentia consequens ea est, quam consulto in appetitu sensitivo voluntas concitat, nutrit ac fovet, ut vehementius in objectum feratur. Exemplum id generis habemus in eo, qui apposite inebriatur, ut deinceps majori valeat audacia rapinam aut homicidium perpetrare.

§. XXXVII.

Quonam autem pacto utraque haec concupiscentia in voluntarium influat jam paucis demonstratur. Quotiescumque vi concupiscentiae antecedentis abstracta et illecta bonum quodpiam sensibile appetit voluntas, in illud majori fertur propensione, quam si foret a concupiscentia immunis. Sed voluntatis propensio nil aliud est quam spontaneum. Ergo per concupiscentiam antecedentem spontaneum augetur. Dum autem ratione spontanei, voluntarium adauget concupiscentia antecedens, mentem obumbrat, et impedit, ne agens objecti malitiam animadvertat. Imminuta sic objecti mali cognitione, quod sub specie boni repraesentat concupiscentia, attenuatur quoque indifferentia ad alterutram contradictionis partem. Sed indifferentia hujusmodi idem est ac libera voluntatis electio. Liberum ergo minuit concupiscentia antecedens. Etsi porro augeatur spontaneum, ibi semper voluntarium minuitur ubi minor est libertas; hoc enim non tam ab inclinatione, quam potissimum a libera electione dimetiri solet. Ergo concupiscentia antecedens minuit voluntarium. Inferimus exinde, leviora esse peccata, quae fiunt ex concupiscentia antecedente, quam quae a plena advertentia procedunt, et eo

quidem leviora, quo magis urget appetitus sensitivus. Contraria prorsus ratione concupiscentia consequens afficit voluntarium. Per eam quippe augetur utique spontaneum, quemadmodum contingit vi concupiscentiae antecedentis, sed liberum haudqnaqnam minuitur, quia plena deliberatione, nullaque impellente causa in malum se se determinavit voluntas. At ubi spontaneum augetur, nec liberum perfectum imminuitur, ibi majus est voluntarium. Indubium ergo est, per concupiscentiam consequentem voluntarium augeri. In hoc consentit D. Thomas 1. 2. Quaest. 77. art. 6. dicens: = Passio consequens non diminuit voluntarium, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati (1) =.

PARS ALTERA

DE ACTIBUS HUMANIS IN GENERE MORUM CONSIDERATIS.

§. XXXVIII.

Huc usque actum hnmanum in *entitate physica* satis inspeximus: nostra nunc potissimum refert illum in genere mornm perpende-

(1) De hac postrema involuntarii causa legendus est idem S. Doctor citata parte Quaest. 6. artic. 7.

re, quatenus videlicet regulis, juxta quas fieri debet, vel convenit, vel adversatur. Vi hujusce conformitatis aut repugnantiae actus humanus *moralis* quoque nuncupatur, eique duplex tribuitur moralitatis species, *bonitas*, et *malitia*. Tria prae ceteris, et quidem maximi momenti, circa morales actiones investiganda nobis objiciuntur. Inquiritur enim 1. Quaenam sint principia, seu fontes, e quibus actuum humanorum moralitas deducitur? 2. Qua ratione actus humani ad meritum imputentur? 3. Qualis demum eorum sit ultimus finis, in quo vera hominis beatitudo consistit? En triplex secundae hujusce partis argumentum, quod per capita singillatim explanabimus.

CAPUT PRIMUM

DE MORALITATIS PRINCIPIIS.

ARTICULUS PRIMUS

Ex objecto praecipue moralitas humanorum actuum desumitur.

§. XXXIX.

Res, vel persona, circa quam actio quaelibet versatur, *objecti* nomine venit, Hoc

Digitized by Google

autem secundum se praecise et *materialiter* spectari potest, aut etiam *formaliter* prouti ab operante attingitur modo rectae rationi consentaneo, vel repugnante. Sic in actu miserationis objectum materiale est pauper ejusque egestas, objectum vero formale est subsidium, quod egeno confertur. Verum, dum exploratur a Theologis, num ex objecto primam et specificam moralitatem contrahat actus humanus, illud formaliter quidem inspicitur, non materialiter: nam unum idemque objectum materiale, scilicet pecunia, proprium esse potest actus tum boni tum mali, furti nempe et restitutionis, liberalitatis et avaritiae. Quapropter sciscitanti, quale sit objectum e. c., unde comestio mala dicitur, vel bona in genere morum, respondendum erit, hoc cibum fore, non physice consideratum, sed quatenus ille sumitur juxta vel contra normam rectae rationis.

§. XL.

Quod praesertim ex objecto dependeat humanorum actuum moralitas, luculenter id ostendunt Scripturae Sacrae, ubi justi vocantur homines vel injusti juxta objecta, quae amore, vel odio prosequuntur. Legimus Oseae cap. 9. v. 10. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quae dilexerunt.* E quibus

verbis ita concludit Angelicus Doctor 1. 2. Quaest, 18. art. 2. = Fit homo Deo abominabilis per malitiam suae operationis. Ergo malitia operationis est secundum objecta mala, quae homo diligit, et eadem ratio est de bonitate actionis = (1).

§. XLI.

Haec eadem veritas pluribus rationum momentis firmatur, inter quae illud primum locum obtineat, quod D. Thomas Quaest. nuper citata hoc modo ex rerum naturalium comparatione deducit: = Sicut prima bonitas rei naturalis ostenditur ex sua forma, quae dat speciem ei; ita et prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti.... puta uti re sua. Et sicut in rebus naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam, puta si non generetur homo, sed aliquid loco hominis; ita primum malum in actionibus moralibus est quod est ex objecto, sicut accipere aliena =. Alterum argumentum depromitur ex receptissimo philosophorum axiomate. *Actus specificantur ab objectis.* Cum enim ratione objectorum,

(1) De hoc moralitatis principio scribens D. Augustinus tract. 2. in Ep. 1. S. Joannis haec habet: -- Talis est quisque, qualis est ejus dilectio. Terram diligis? Terra es. Deum diligis? Quid dicam? Deus eris -- .

circa quae versantur, specie inter se differant actiones, inde concluditur theologicas virtutes a moralibus distingui, furtum ab homicidio. At hujusmodi specifica differentia non haberetur, si ab objecto moralitas non proficisceret. Objectum igitur actionibus humanis confert moralitatem. Illud tandem accedit, quod essentialis actionum bonitas et malitia ex eo procedit, a quo actus obtinet essentialem conformitatem, vel repugnantiam regulis morum. Id vero ex objecto obtinent actus humani; iisdem namque regulis conveniunt, si illud praecipiatur a lege, eisque opponuntur, si prohibeatur. Essentialem ergo bonitatem et malitiam actus humani ab objecto nanciscuntur.

ARTICULUS SECUNDUS

Finis est aliud moralitatis principium.

§. XLII.

Ab Aristotele lib. 2. Physicorum definitur *Finis.* = Id, cujus gratia cetera fiunt =. Is porro multiplex est. Quemadmodum in genere causae efficientis alia est causa prima, quae a nulla dependet, aliae sunt secundariae et intermediae, item in genere causae finalis alter est finis *simpliciter ultimus,* ad quem omnia referuntur, quique

adeo intenditur, ut in ipso tandem sistat voluntas; alter finis *non ultimus,* seu *intermedius*, est qui propter aliud expetitur. Rursus finis *operis* a fine discernitur *operantis*. Finis operis, seu intrinsecus ille dicitur, ad quem suapte natura opus ipsum ordinatur, neque a formali differt objecto. Finis operantis, sive extrinsecus est, quem agens sibi consequendum proponit. Esto ad utriusque exemplum correptio fraterna: in ea finis operis est proximi emendatio, finis operantis esse potest amor, odium, vindicta.

§. XLIII.

A fine operantis moralitatem acquirere actus humanos, plane eruitur ex Evangelio Matthaei cap. 6. Ibi enim Christus ait v. 1. et 2. = Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus =. De quibus autem hic loquitur Divinus Servator? De scribis, et pharisaeis, quos tamquam hypocritas arguit, quia virtutum actus tum ex objecto tum ex circumstantiis laudabiles ob inanem gloriam jactabant. Ast cur reprehendendi scribae et pharisaei, si a fine

operantis actionum moralitas apprime deducenda non foret? (1) Idipsum quoque colligitur ex eodem capite v. 22. 23., ubi haec leguntur: = Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem ..... fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit =. Quam auctoritatem expendens D. Augustinus, eam sic explicat lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 13, = Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus: quae si munda fuerit et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quae secundum eam operamur, necesse est, bona sint = (2).

§. XLIV.

Cum non semper eadem ratione finis operantis humanum actum afficiat, plura hac in re sedulo animadvertenda putamus.

1. Itaque si objectum, circa quod actio

(1) Ad ram nostram pertinant verba D. Hieronymi dicentis lib. 3. in cap. 5. Ep. ad Galatas: — Martyrium ipsum, si ideo fiat, ut admirationi et laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis affusus est —. Nil sane martyrio praestantius; verum adeo existimandum est in actus humanos finem operantis influere, ut opus, ceteroquin perfectissimum charitatis meritum amittat, si finis pravitata vitietur.

(2) Oculum simplicem et nequam metaphorice pro intantione sumendum esse, praeter D. August. lib. 2. da moribus Manichaeorum Cap. 13., docent etiam D. Gregorius M. lib. 28. moral. Cap. 11. at D. Thomas 1. 2. Quaest. 12. art. 1. ad 2.

versatur indifferens sit, veluti canere, pingere, ambulare; tum evidens est, finem bonum vel malum primam et essentialem bonitatem vel malitiam actui tribuere.

2. Si actio ex objecto mala sit, atque ab agente in alium finem malum specie diversum a malitia objecti referatur; tum actio malitiam induit duplicis speciei, quarum una alteram non aufert. Sic duplicem malitiam complectitur perjurium, si in perniciem innocentis proferatur; pejerans quippe ratione objecti mali peccat in religionem, et ratione finis justitiam laedit.

3. Si bonum sit actionis objectum, et ab agente in finem pariter bonum ea dirigatur, posita utriusque bonitate diversa; actio tunc novam bonitatis speciem assequitur. Hinc qui stipem elargiendo charitatis virtutem exercet, poenitentiae actum una potest sibi praestituere.

4. Demum si objectum et finis operantis inter se differant specie moralitatis, adeo ut bonum sit objectum, pravus vero finis, aut e contra; tum actio mala semper evadit, cum bona esse nequeat simul et mala. Hujusce rei ex hoc deducitur ratio, quod finis utcumque bonus objecto de se malo bonitatem conferre non valet, sicuti actio quaevis ex objecto bona inficitur, si in pravum finem dirigatur. Unde vulgare theologorum

illud effatum = Bonum ex tota, et integra causa; malum ex singularibus defectibus contingit =. In hoc consentit Angelicus 1. 2. Quaest. 18. art. 4. dicens: = Non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant: quia *quilibet singularis defectus causat malum; bonum autem causatur ex integra causa,* ut Dionysius dicit cap. 4. de Divinis Nominibus.

§. XLV.

Si intimum animi sensum consulere velimus, facile quisque edocebitur, voluntatem, cum aliquem finem sibi constituat, per quosdam veluti gradus transcurrere, ut illum consequatur: qui gradus communiter ad sequentes plus minus referri solent (1). Occurrit autem 1. Ex parte intellectus praevia *cognitio* finis animum allicientis per objecti repraesentationem, quod sub boni specie proponitur. 2. Finis cognitionem subsequitur simplex ejus *volitio,* quae est primus actus, quo voluntas de fine jam cognito sibi complacet, eumque uti in se amabilem respicit. Hujusmodi volitio appellatur quoque *velleitas,* seu voluntas inefficax, quia placet utique bonitas finis, sed de eo prosequendo non cogitat voluntas. 3. *Intentio efficax* finis attingendi succedit: at mediis deficientibus,

(1) Consulatur D. Thomas 1. 2. a Quaest. 10. ad 17.

ad finem perveniri nequit. Hinc 4. Locum habet *consilium*, quod est discursus intellectus haec media perquirentis. Verum hujusmodi operatio intellectus requiritur, cum media sint incerta vel dubia: si enim determinata forent, inquisitio nobis opus non esset. 5. Accedit *consensus* media jam explorata approbans et acceptans utpote ad propositum finem consentanea. 6. Dum vero plura sunt media peraeque ad finem idonea, unum prae altero seligendum est: fit igitur post consensum *electio*. 7. Subinde venit *imperium*, quo potentias externas ad electa media adhibenda voluntas determinat. 8. Deliberata sic ad agendum voluntate, *consequitur usus*, qui est actus voluntatis seipsam, ceterasque potentias applicantis ad mediorum exsecutionem. 9. Postremus denique voluntatis gradus est *fruitio*, ille scilicet actus, quo quis in fine jam obtento quiescit ac de eo delectatur.

ARTICULUS TERTIUS

Circumstantiae quoque in actibus humanis moralitatem inducunt.

§. XLVI.

Quidquid ad actus humani substantiam non attinet, sed illi accidentaliter adjicitur,

eumque physice vel moraliter afficit *circumstantia* nuncupatur. Septem vulgo enumerantur circumstantiae, quae inconcinno hoc versu continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

1. *Quis* conditionem denotat operantis, vel ejus in quem fit actio; nempe si dives sit, aut inops, si clericus, si magistratus.

2. *Quid* non essentiam actionis designat, sed ipsius accidens, non objectum, sed objecti qualitates, uti si quis aqua frigida vel calida abluatur, si ablutione convalescat vel infirmetur.

3. *Ubi* est circumstantia loci sacri aut profani, in quo crimen admittitur.

4. *Quibus auxiliis* media significantur, instrumenta, ministri, quibus utitur agens.

5. *Cur* nil aliud est quam finis, non quidem intrinsecus, seu operis, sed extrinsecus, finis videlicet operantis.

6. *Quomodo* rationem exprimit, atque majorem vel minorem propensionem, qua quis operatur; hoc est, si velox sit vel tardus incessu, si graviter, si remisse adversarium feriat.

7. *Quando* temporis qualitatem respicit, et actus continuationem. Talis est circumstantia, qua opus servile die festo exercetur, quod eo magis ad culpam imputabitur, quo diu agens in ipso immoratur.

§. XLVII.

Circumstantias alterum fore moralitatis principium indubitanter constat ex Evangelio Marci cap. 12. v. 41. et 42. Ibi namque ediscimus, divitibus a Christo praeferri viduam pauperem, quae duo minuta in gazophylacium immisit. Id autem cur? Nonnisi quia hujusce mulieris actus ob circumstantiam inopiae ac majoris pietatis pluris apud Deum existimabatur, quam eorum largitiones, qui magis tribuebant. Accedit insuper auctoritas Tridentini Concilii Sess. 14. de poenit. cap. 5. decernentis, = eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neque in poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant; et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, pro illis, poenitentibus imponere =. Jam vero si circumstantiae principium moralitatis non essent, actus humanos nec meliores nec deteriores efficerent. Eas ergo clavibus Ecclesiae in poenitentiae Sacramento subjicere foret prorsum inane. Verum ita sentientibus eadem Synodus can. 7. anathema indixit. Circumstantias igitur moralitatis principium esse, inficiari non potest. Tandem quod Divinis Oraculis, quod Eccle-

siae Catholicae sanctionibus probatum est, id rationis etiam argumento sic demonstratur. Plures dantur actiones, quae licet idem objectum habeant, eundemque finem, nihilominus aliae aliis meliores sunt vel deteriores. Exemplo res patet nummum surripientis, qui si in templo furetur gravius saue peccat ratione loci, quam si furtum admiserit in foro: Item laudabilior erit eleemosyna, si egeno catholico potius quam infideli erogetur. At nunquam id profecto concedi posset, si circumstantiae in malitiam et bonitatem actionis non influerent. Moralitatem ergo actuum humanorum ex circumstantiis saepe deducere necesse est.

§. XLVIII.

Ad duo genera praecipue theologi morales circumstantias reducunt, quarum aliae speciem immutare dicuntur, hoc est novam inducunt moralitatis speciem in actione, eique peculiarem addunt conformitatem vel repugnantiam regulis morum; aliae speciem non mutant, sed augent dumtaxat vel minuunt bonitatem et malitiam actionum, eodem moralitatis genere manente. Porro, ut accurate quisque definire valeat, num ad primum vel secundum genus circumstantiae pertineant, sequentes regulae prae oculis habeantur.

Regula 1. Si circumstantia efficiat, ut actus alicui adversetur virtuti, cui ille de se non opponitur, vel si actum conformem reddat virtuti, ad quam naturaliter actus non tendit; tum species mutatur actionis, quia ubi conformitas habetur vel repugnantia pluribus virtutibus, ibidem plures quoque conformitates vel repugnantiae regulis morum adsint oportet.

Regula 2. Speciem mutat pariter circumstantia, si efficiat, ut actus eidem virtuti diverso modo conformis sit vel repugnans: cum enim diversus sit modus hujusce convenientiae vel oppositionis, tum etiam diversa erit conformitas vel repugnantia regulis morum. Hinc quamvis furtum, et rapina justitiae tantum officiant, specie tamen differunt inter se, nam in utroque crimine eadem oppositionis ratio non reperitur.

Regula 3. Si denique circumstantia intra eandem speciem augeat, vel minuat actus moralitatem, nec efficiat ut actus ipse vel diversae virtuti, vel diverso modo eidem virtuti conveniat aut adversetur; hac in hypothesi circumstantia semper aggravans erit vel minuens, nunquam tamen speciem mutabit.

§. XLIX.

Cum de circumstantiis in praesentiarum sermo sit, opportunum hic obtinet locum disquisitio, utrum actus externi circumstantia augeat interni moralitatem? Quaestionem hanc sibi proponit Angelicus in 2. distinct. 40. Q. 1. a 3., eamque paucis resolvit dicens: = Actus exterior nihil adjungit ad praemium essentiale: tantum enim meretur qui habet perfectam voluntatem faciendi bonum, quantum si faceret illud..... voluntate aequaliter perfecta manente. Adjungit tamen aliquod praemium accidentale =. Qua praemissa D. Thomae distinctione, jam tuto asserimus, circumstantiam actus externi *per se* nullam interno moralitatem adjicere, sed tantum *per accidens*. Prima hujusce propositionis pars sic facile ostenditur. Si actus interni moralitatem externus per se augeret, voluntas efficax agendi pro facto habenda non foret. Sed apud Deum vera et efficax voluntas agendi pro facto reputatur: nam Abrahamo ad filium offerendum parato dixit Deus Geneseos cap. 22. v. 16. = Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi =. Actus igitur externus moralitatem interni per se non adauget. In id consentit Divus Chrysostomus ita explicans

divina verba mox tradita Hom. 47. = Quantum ad voluntatem attinet cruentaverat dexteram patriarcha, et per cervicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium, et idcirco Dominus, quasi sacrificio reipsa consumato, laudat justum =. Huic sententiae adhaeret insuper D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 2. dicens: = In opere, et eleemosynis, etiamsi per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem satis esse =. Addatur item D. Augustinus in Psalm. 57. = Quidquid vis et non potes, factum Deus computat =: et lib. 16. de Civit. Dei cap. 4. ait = merito malum puniri affectum, etiam cui non succedit effectus =. Divus tandem Bernardus Ep. 77. haec habet: = Quid planius? Quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas =. Postremo ratione naturali haec eadem veritas elucescit. Indubium enim est bonitatem vel malitiam ab interno desumi principio, scilicet a voluntario. Atquin actus externus per se sumptus ab interno penitus distinguitur. Ergo actus externus nullam per se moralitatem habet. Sed quod in se non habetur alteri conferri nequit. Actus igitur externus per se non auget interni moralitatem. Ad alteram progrediamur assertionis partem, de qua plura notanda censemus. Actus internus plerumque, ex-

terno accedente, intensior ac diuturnior evadit; unde vehementius cupiditatibus exardescit voluntas, si in malum feratur, magis obfirmatur in vitio, pravaque consuetudine obdurescit: interdum pusillorum offendiculum, damnum alterius temporale, restitutionis onus inde exoritur: quandoque etiam irregularitas vel censura contrahitur. Quae omnia cum accidentaliter actum externum consequantur, jure concluditur, ex eo moralitatem actus interni per accidens augeri (1).

§. L.

Graviora, quae hactenus demonstratis adversari videntur, ad haec quinque capita summatim reducimus.

1. Si actus interni moralitas per externum non augeretur, bona opera externa essent prorsus inania. Ergo praetermittenda, cum sola sufficeret voluntas.

2. Eodem semel admisso principio, dicendum, par meritum fore suscipere sacramenta, ac illa tantum optare: par meritum preces fundere, obsequium praestare parentibus, corpus per abstinentiam affligtare; ac velle haec opera exercere. Idem pariter esset martyrium cupere, illudque revera su-

(1) En ratio, per quam David 1. Reg. 25. 39. grates Deo referebat, quod, eo juvante, non interfecerit Nabal, quem tamen ira percitus antea perdere voluerat.

bire. Haec porro quis sanae mentis dixerit unquam?

3. Consequeretur item, ad confessionis integritatem sat esse in foro sacramentali peccatum internum aperire, uti pravum desiderium, turpemve delectationem, externum non oportere. Id vero catholicae veritati repugnare nemo non videt.

4. Actus interni simul et externi ad eandem speciem pertinentes distinctis praeceptis in Decalogo prohibentur. Ergo sunt per se actus distincti ratione gravitatis (1).

5. Doctrina superiori (§. XLIX.) tradita sollicite devitanda est, cum ne minimum quidem differat a Petri Abaylardi errore, quem Ecclesia proscripsit (2).

§. LI.

Ut ea, quae nobis objecta fuere, prouti decet convellantur, singulis rationibus totidem animadversiones opponimus.

Atque ad 1. sic pergimus. Si actus interior per se subsistens, atque in suo genere constitutus adeo perfectus et efficax sit, ut

(1) Exodi 20. Matthaei 5.

(2) Petri Abaylardi error, teste Gregorio Ariminense, in 2. sentent. Quaest. 42. et D. Bernardo Ep. 188. in hac propositione continetur — Sola voluntas aeternaliter remuneratur sive ad bonum, sive ad malum; nec propter opera pejor vel melior efficitur homo, nisi forte dum operatur: in aliquo ejus voluntas augetur —.

nil ei per exteriorem addatur, tum actum externum inutilem fore, damus lubenter: talis est amor Dei, odium peccati, qui actus si a voluntate eliciantur, iis per verba, aut signa externa nihil adjicitur. At pluries actus interior perfectus et efficax esse nequit, si bonum, cum fieri possit, reapse non fiat. Ulterius saepe sub praecepto cadit ipsum opus externum: illud autem velle, et non ponere, est velle imperfecte et inefficaciter. Opus igitur externum inutile generatim dicendum non est, quamvis asseratur, illud per se moralitatem actus interni non augere.

Ad 2. Nullam porro vim obtinet argumentum deductum ex incongruis consectariis secunda difficultate contentis. Quod attinet enim ad Sacramenta; bonum dicimus ea suscipere velle; at longe optimum est ipsa recipere, non quod actus exterior per se meliorem reddat internum, sed aliis de causis; tum nempe ratione gratiae, quae ex reali tantum eorum perceptione *ex opere operato* homini communicatur, tum ratione praecepti divini et ecclesiastici participationem Sacramentorum praecipientis. Orationem autem, parentum obsequium, abstinentiam, ceteraque id generis opera externa meliora fore, quam eorum simplicem volitionem, quis neget? At ideo meliora sunt, non quia per se actum internum perficiant,

sed ob plurima bona, quae per accidens externum actum comitantur, vel subsequuntur. De martyrio tandem notamus, eum, qui vehementi desiderio illud exoptaret, apud Deum posse mereri perinde ac mors ipsi pro Christo foret illata: veruntamen non diffitemur, in eo, qui reapse torquetur, qui sanguinem effudit, per accidens magis meritorium esse martyrium ob maximam difficultatem in illo subeundo, cui specialis convenit gloriae corona (1).

Ad 3. Sive malitiam peccati externi saepe auctam per accidens ob adjuncta et effectus inde consequentes perpendamus; sive etiam pensemus externis actibus adnexas interdum ecclesiasticas censuras et reservationes; externi peccati circumstantiam ad confessionis integritatem revelandam esse, fateamur oportet. Quae cum ita sint, neminem latet, e principio jam super firmato minime consequi, circumstantiam actus externi in confessione aperiendam non fore.

Ad 4. Verum quidem est, actus quosdam internos atque externos ejusdem speciei diversis praeceptis in Decalogo distincte vetari. Haec tamen divina mandata ibi scite multiplicantur, ne judaei sibi suaderent in-

(1) Videantur D. Thomas in 4. Sentent. dist. 49. Quaest. 5. art. 3., et Benedictus XIV. De Servorum Dei Beatific. lib. 3. Cap. 11. N. 4. et seq.

ternos aliquos actus licere, satisque fore ad legem servandam ut ab externis tantum abstinerent.

Ad 5. Nullum externum opus bonum esse vel malum existimavit Abaylardus; inutile proinde censuit bonum exterius prosequi et malum vitare. En quo sensu merito damnata fuerit erronea ipsius doctrina, a qua profecto summopere distamus (1).

CAPUT SECUNDUM

DE ACTUUM HUMANORUM MERITO.

§. LII.

Cum in genere morum spectato duplex moralitas actui tribuatur humano, dupliciter inde constat homini imputari posse ipsius actionem, in *laudem* scilicet, si bona sit, si vero mala in *vituperium*. Hinc notio *meriti* proficiscitur; quae vox quamvis opus tum bonum tum malum significare valeat, communiter tamen ad bonum opus designandum usurpatur. Posteriori hoc sensu merito humanarum actionum recepto, tria in praesenti capite edisserenda suscipimus. Nostrum enim fore arbitramur, tum ea tradere, quae

(1) Hac de re consulatur prae ceteris Laur. Berti disc. theol. t. 2. lib. 21. Cap. 3.

meriti respiciunt naturam, divisionem, ejusque necessarias conditiones; tum veritatem catholicam de merito bonorum operum ostendere; tum demum quid constituat, nec ne, objectum meriti explorare. Id autem sequentibus articulis haud mora praestabimus.

ARTICULUS PRIMUS

Expenditur, quae sit natura meriti, ac divisio, quaeque sint conditiones ad illud requisitae.

§. LIII.

Meritum a theologis definitur = bonorum operum, quae sunt ex gratia, quaedam dignitas aut praestantia, ob quam illis sive ex decentia, sive ex justitia rependitur aliquod praemium pertinens ad vitam aeternam =. Cum ex definitione dictum sit, praemium sive *ex decentia* sive *ex justitia* conferri, jam sponte consequitur, duplex fore meriti genus, quorum alterum *de congruo* dicitur, alterum *de condigno*. Maximum inter utrumque discrimen prorsus habetur. Meritum quippe *de congruo* illud est, cui remuneratio non ex jure confertur, sed ob divini tantum Largitoris bonitatem, quodque in peccatoribus etiam reperitur, cum praeveniente gratia adjuti juxta Tridentinum

Sess. 6. cap. 6. et can. 3. per actus fidei, spei, et dilectionis saltem inchoatae ad justificationem disponantur. At meritum *de condigno* illud appellatur, cui ex justitia vita aeterna retribuitur, et statum gratiae habitualis requirit. Nomine porro *justitiae* per quam de condigno merces donatur, eam non intelligimus commutativam justitiam, quae, ratione aequalitatis accurate servata, inter homines exercetur: si enim opus humanum, utcumque bonum, in se consideretur, futurae gloriae aequiparari nequit, cum nulla inter opus naturale, ac mercedem supernaturalem adsit proportio. Quod si quid praemii opus mereatur, id totum e dignitate gratiae sanctificantis procedit, quae est humani meriti fundamentum. Unde, cum per actum justitiae distributivae Deus confert hominibus aeternitatis coronam, eos *in misericordia* et *miserationibus coronat* (1).

§. LIV.

Ad meritum sive de congruo sive de condigno constituendum plures enumerantur necessariae conditiones.

Et quidem 1. Liber esse debet actus humanus, ea nempe libertate praeditus, quae dicitur *a necessitate simplici* et *absoluta:* hac si-

(1) Psalm. 102. v. 4.

quidem praecisa, meritum evanescit, neque ad merendum vel demerendum sufficit libertas *a coactione*. Ejusmodi veritas, cui adversatur Jansenius, prouti monuimus §. XII. N. 2. e Sacris Literis luculenter eruitur; nam in libro Ecclesiastici cap. 31. v. 10. ei repromittitur = gloria aeterna, qui potuit transgredi et non est transgressus, mala facere, et non fecit =. Porro qui liber est tantummodo a coactione, ad unum determinatur; qui determinatur ad unum, pro arbitrio nequit mandata transgredi et non transgredi. Ergo Scripturae Sacrae non a janseniana libertate meriti rationem deducunt, sed ab ea libertate, quae necessitatem quamlibet excludit. Ad haec Sanctorum Patrum accedit Auctoritas, ac praesertim Hilarii de David in Psal. 118. dicentis: = Aliis gloriam saeculi eligentibus, sanctus iste mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate sed voluntate pietatis, quia unicuique ad id quod vult via est proposita vivendi et appetendi, atque agendi permissa libertas; et ob id uniuscujusque aut poena aut praemiis afficietur electio =. Item Augustinus de vera religione cap. 14. de angelo malo disserens ait: = Si necessitate id fecisset, nulli peccati vinculo teneretur =. Aeque sentit Bernardus lib. de libero arbitrio cap. 2. haec scribens: = Ce-

terum, quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto vel bonum ei vel malum imputatur? Excusat utrumque necessitas. Porro ubi necessitas est, libertas non est, nec meritum = (1). Adversus Jansenium sic pugnat quoque ratio naturalis. Ideo morales dicuntur actus humani, quia regulis morum subjiciuntur. Sed actus mere spontanei, utpote necessario ad unum determinati, morum regulis non subjiciuntur; illis enim perperam applicaretur norma, cum aliter evenire nequeant. Ergo actus mere spontanei morales non sunt. Sed ad meritum aut demeritum opus est, ut actus sint morales. Actus igitur mere spontanei meriti subjectum non sunt. Exinde consequens est, ad meritum vel demeritum immunitatem non sufficerė a coactione, sed libertatem a necessitate requiri.

2. Altera ad meritum conditio haec est, ut opus et bonum sit, et in ordine fiat supernaturali. De necessaria operis bonitate ambigendum non est, cum dixerit Deus ad Cain Geneseos cap. 4. v. 7. *Nonne si bene egeris recipies?* Et sane quidem si opus indifferens ponatur, non est cur praemio compensetur; si vero malum, puniendum erit,

(1) Quoad reliquos Patres legi poterit Card. Bellarminus controversiarum fidei t. 4. controv. 3. lib. 5. De Meritis bonorum operum Cap. 10.

nam tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum. (1) Verum necesse insuper est, ut supernaturalis sit actus humanus, ut ope gratiae videlicet exerceatur. Id plane sanxere Concilii Tridentini Patres, qui, postquam docuerint Sess. 6. cap. 16. opera bona nec meritoria nec Deo grata esse posse nisi fiant concursu gratiae, quae eadem *antecedit, comitatur* et *subsequitur,* dogma catholicum hisce verbis firmarunt can. 2. = Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per C. J. dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque.... possit, anathema sit =.

3. Actus meritorius esse nequit, nisi fiat ab homine viatore; idque sponte deducitur e pluribus Sacrarum Scripturarum locis. = Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas = Ecclesiaste cap. 9. v. 10. = Ante obitum tuum operare justitiam = Ecclesiastic. cap. 14. v. 17. = Venit nox, quando nemo potest operari =. Evang. Joan. cap. 9. v. 4. Qua de re Angelicus Doctor 2. 2. Quaest. 13. art. 4. ita

(1) Ep. ad Rom. C. 2. v. 9.

concludit: = Mereri et demereri pertinent ad statum viae. Unde bona in viatoribus sunt meritoria, mala vero demeritoria. In beatis bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinis praemium: et similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinentia ad damnationis poenam =.

§. LV.

Praeter jam descriptas conditiones, quae utrique sunt merito communes, duae quoque superaddantur ad meritum de condigno peculiariter spectantes. Id generis meritum consistere nequit, nisi bonum opus in statu gratiae perficiatur. Nam qui gratia caret habituali non manet in Charitate, scilicet in Deo, qui Charitas est. Sed qui in Deo non manet, de condigno mereri non potest; ait enim Christus Joan. 15. v. 4. = Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis =. Ergo ad meritum de condigno status justificationis requiritur (1). Hic autem ad merendum nec satis esset, si

(1) Nihil de condigno mereri hominem si justificatione privetur, sic disertis verbis affirmat D. Augustinus in Psalm. 7. — Dicat peccator salvum me fac propter misericordiam tuam... quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat —.

merces non foret divinitus repromissa. De hac fideli repromissione testem habemus D. Jacobum, a quo Ep. Cath. cap. 1. v. 12. vir pronunciatur beatus, = qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se = Quo posito, ex definitis (§. LIII.) animadvertimus, meritum de condigno jus homini ad aeternam beatitatem conferre. Porro, unde, sodes, hoc jus proficisci poterit? Non quidem ab homine; quidquid enim boni is agat, nihil Deo reddit, quod ratione creationis et conservationis illi reddere non teneatur. Unicum ergo principium, cui tale jus innititur, divina in promissione fundatur. Hisce praenotatis, brevi sic infertur conclusio. Ea est ad meritum de condigno necessaria conditio, sine qua ad aeternam mercedem jus nullum habetur. Atqui non ab humanis actionibus, sed a liberali divina repromissione hoc jus originem trahit. Ergo ad meritum de condigno necessaria est retributionis promissio. Quocirca Augustinus ad rem nostram ait: in Psal. 83: = Debitorem Dominus ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo =.

ARTICULUS SECUNDUS

Hominem per bona opera vere ac proprie mereri multiplici ratione commonstratur.

§. LVI.

Quamvis meriti vocabulum maxime exosum sit Calvino, a quo omnes hominum actiones veluti sordes et inquinamenta existimantur; quamvis autumet Lutherus in bonis etiam operibus justum peccare, eumque non posse nisi per solam fidem justificari; nihilominus et ipsi cum eorum gregalibus novatoribus aliquam meriti speciem humanis actionibus tribuere non dedignantur. Verum quam fictitium sit meritum a novatoribus admissum ex eo quidem apparet, quod, cum aeternam remunerationem promereri de condigno hominem non posse contendant, catholicam de merito bonorum operum doctrinam funditus evertunt. Eos autem hac in re vitiosissime falli luce clarius patebit, si divina consulantur Oracula. Legimus in primis Sapientiae cap. 5. v. 16. = Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum =: item in Evangelio Matth. cap. 5. v. 12. = Gaudete, et exultate quoniam merces vestra copiosa est in Coelo =. Ex hisce, aliisque consimilibus SS. Scripturarum locis ita libet

argumentari. Merces et meritum duo sunt correlativa adeo necessaria, ut, uno concesso, aliud nequeat inficiari. Porro justis bonorum operum intuitu merces aeterna in Sacris Literis promittitur. Bona igitur justorum opera vere ac proprie sunt meritoria. Sed planius adhuc bonis hominum operibus praemium ex justitia reddendum semel iterumque eaedem Scripturae sacrae testantur. Habemus enim in Apocalypsi cap. 2. v. 10. = Esto fidelis usque ad mortem, et accipies coronam vitae =: in Ep. 2. ad Timotheum cap. 1. v. 12. = Certus sum, quia potens est (Deus) depositum meum servare in illum diem =: et cap. 4. v. 8. = Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die justus judex =: et 1. ad Corinthios cap. 9. v. 24. = Nescitis, quia hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis =. Hinc rursus aliud instituitur argumentum. Ad justitiam potissimum attinet coronam vincenti conferre, depositum reddere, bravium tribuere currenti. Sed quidquid a judice ex justitia rependitur, illud de condigno promeritum est. Justus ergo, cui talia ex Scripturis Sacris debentur, sempiternam retributionem de condigno meretur.

§. LVII.

Haec eadem veritas SS. Patrum traditione valide roboratur. Nam D. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 4. inquit: = Homo ex operibus justitiae salvatur =. D. Gregorius Nyssenus Orat. 1. de amandis pauperibus haec habet: = Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni, benignique fuerint, summa et perpetua requies tribuitur in regno coelesti, inhumanis autem et improbis supplicium ignis, idque sempiternum =. S. Cyprianus serm. de Eleemosyna. = Si expeditos, ait, si celeres, si in hoc operis agone currentes dies nos vel reditionis, vel persecutionis invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad praemium deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit =. S. Paulinus Ep. ad Victricium sic eum alloquitur: = Tuarum tibi praemia se debere virtutum, judex justus agnoscet =. D. Augustinus denique Ep. ad Xistum 194. ita scribit: = Quis non congruentissime et consequenter addere judicaret, si diceret, stipendium autem justitiae vita aeterna,? Et verum est, quia sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiae tamquam stipendium vita ae-

terna.... Unde merces etiam appellatur plurimis Sanctarum Scripturarum locis = (1).

§. LVIII.

Traditioni SS. Patrum accedat Conciliorum generalium auctoritas, inter quae Lateranense IV. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, et Fide Catholica definivit = Non solum virgines, et continentes, verum etiam conjugatae per rectam fidem, et operationem bonam placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem pervenire = Florentinum pariter in decreto Unionis de Purgatorio declarat = Animas purgatas in Coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum, et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate unum alio perfectius = . Tandem Sessione jam pluries citata Synodus Tridentina errorem novatorum hac ratione confixit Can. 26. = Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo

(1) Relatis Patrum testimoniis addi pro lubitu potest illud Ignatii M. Ep. ad roman; Justini M. Apolog. 2., Irenaei lib. 4. adversus haeres. Cap. 72., Chrysostomi homil. de Lazaro; Ambrosii lib. 1. de Officiis Cap. 15; Hieronymi lib. 2. in Jovinianum, aliaque plura, quae a Ballarmino fusiori calamo recensentur controversiarum tom. jam sup. cit. lib. 5. Cap. 4.

usque in finem perseveraverint, anathema sit =. Et Can. 32. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum fiunt, non vere mereri... vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, anathema sit =.

ARTICULUS TERTIUS

Objectum meriti statuitur.

§. LIX.

Hominem per bona opera non modo de congruo, sed etiam de condigno vitam aeternam mereri posse, jam satis ostendimus articulo praecedenti. Verum aliud ne, praeter vitam aeternam, objectum meriti constituit? En argumentum, circa quod tractatio nostra versatur. Si de prima gratia actuali sermo sit, indubitanter asserimus, neminem sive de condigno, sive de congruo eam posse mereri juxta canonem inter Catholicos receptum *principium merit non cadit sub merito*. Alioquin dicendum foret, propriis naturae viribus, nullaque gratia excitante, quemquam gratiam ipsam acquirere sibi pos-

se: dicendum cum Pelagio gratiam secundum naturae meritum conferri. Quod sane quantum a fide catholica alienum sit, ille tantum ignorare poterit fortasse, quem latet haeresis pelagianae damnatio (1).

§. LX.

Neque gratiam habitualem, quae prima dicitur, potis est homo de condigno promereri. Nam ad hoc, ut de condigno quis mereatur, justus sit oportet: (§. LV.) justus autem nemo ante primam gratiam habitualem, cum per eam dumtaxat a peccato ad justificationis statum homo transferatur. Qua de re Tridentina Synodus eadem Sess. cap. 8. concludit, nos ideo = gratis justificari, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur =. De congruo tamen hanc ipsam gratiam adquiri posse, quis ibit inficias? Nullum plane dubitationi locum reliquunt evangelica verba Lucae cap. 18. v. 13., quibus enarratur, publicanum deprecantem, ut sibi Deus propitius foret, descendisse e templo justificatum, hoc

(1) Hujusmodi errorem una cum ejus auctore jam a saeculo V. anathemate proscriptum fuisse tum a Rom. Pontif. Innoc. I. et Zosimo, tum a Conciliis Diospolitano, Carthaginiensi, Milevitano, aliisque in Ecclesia Africana coactis, docet Ecclesiastica Historia. Vide prae ceteris historiam pelagianam ab Henrico Norisio conscriptam.

est primam gratiam habitualem obtinuisse (1). Quae verba perpendens Augustinus tract. 44. in Joan. dixit: = ista confessio meruit justificationem =. Non meruit autem de condigno, quia publicanus antea peccator erat: ergo de congruo, attenta scilicet Dei miserantis bonitate.

§. LXI.

Per bona opera potest homo de condigno secundam gratiam mereri. Secunda etenim gratia cum sit prioris incrementum, statum gratiae habitualis praerequirit. Sed hujusmodi status conditio est ad merendum de condigno necessaria (§. LV.) Homini igitur de condigno merenti secunda gratia confertur. Plurima id suadent Sacrarum Scripturarum loca, illudque praesertim Apocalypsis cap. 22. v. 11. = Qui justus est justificetur adhuc =. Praeterea de Abraham legitur Geneseos cap. 15. v. 6. = Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam =. Ad tempus autem posterum sermonem referens Divus Jacobus cap. 2. v. 21. de illo ait: = Abraham pater noster nonne ex operibus ju-

(1) Idipsum concluditur ex Actis Apostolor. integro cap. 10., ubi de Cornelio centurione agitur, qui orationibus, et eleemosynis de congruo promeruit, et consequutus est fidem et gratiam santificantem per Baptisma sibi ab Apostolorum Principe collatum.

stificatus est offerens Isaac filium suum super altare? = Porro non de prima justificatione heic loqui poterat Apostolus, cum jam prius justus foret S. Patriarcha: ergo de justificationis incremento. Unde ita concludit Augustinus tract. 77. in Joan. = Restat, ut intelligamus Spiritum Sanctum habere, qui diligit, et habendo mereri, ut plus habeat, et plus habendo plus diligat =: item Ep. 186. ad Paulinum Episcopum = ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici =. Quae cum ita sint, homini de condigno merenti optime conveniunt haec Proverbiorum verba cap. 4. v. 18. = Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem =.

§. LXII.

Nec reparatio post lapsum, neque perseverantiae donum usque in finem cadit sub merito de condigno. Quoad primam positionis partem sufficiant Ezechielis verba cap. 18. v. 24. = Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem.... omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur =. Quoad alteram audiatur Paulus 1. ad Corinth. cap. 10. v. 12. dicens: = Qui se existimat stare, videat ne cadat =: et ad Philippens. cap. 2. v. 12. = cum metu et tremore vestram salutem operamini =.

Ast cur tanti metus causa, nisi quia incerta admodum est ad exitum usque vitae perseverantia, neque de hac habetur ea repromissio, quam ad meritum de condigno requiri, jam supra vidimus (§. LV.). Quapropter D. Augustinus lib. de dono perseverantiae ait cap. 8. = Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, alii autem non donetur inscrutabilia sunt judicia Dei =; et ibidem cap. 13. subdit: = Satis dilucide ostenditur, et inchoandi, et usque in finem perseverandi gratiam..... non secundum merita nostra dari (1) =.

CAPUT TERTIUM

DE ULTIMO ACTUUM HUMANORUM FINE, IN QUO VERA HOMINIS BEATITUDO CONSISTIT.

§. LXIII.

Summum ac ineffabile Bonum, de quo tam saepe inaniter a philosophis disputatum est, quodque cum beati esse velimus, omnes expetamus necesse est: summum, inquam, Bonum, quod est ultimus ac verus finis moralium actionum, perjucundum simul atque

(1) Quae strictim in hoc capite retulimus fusius tradita videri poterunt apud D. Thomam 1. 2. Quaest. 114. art. 5., et sequent., Bellarminum controvers. tom. 4. contr. 3. lib. 5. et Laurentium Berti theol. discipl. tom. 2. lib. 19. Cap. 6.

gravissimum argumentum constituit, circa quod oratio nostra in praesenti versatur. De hoc itaque cum adhuc agendum supersit antequam prior institutionum Ethices Christianae liber ad sui metam pertingat, quinque jam in primo hujusce capitis exordio nobis proponimus investiganda 1. Nempe inquiritur, an homo in suis actibus semper ac necessario in finem ultimum tendat? 2. An ultimus finis hominis in bono creato sistere valeat? 3. An solus Deus esse possit Verus Ultimus hominis finis? 4. An homo Deum veluti finem ultimum sibi praestituere teneatur? 5. Quaenam denique sint ultimi finis hominis, hoc est beatitudinis proprietates?

Huic partitioni cum quinque articuli conveniant, primum festinanter aggrediamur.

ARTICULUS PRIMUS

Hominem semper ac necessario in suis moralibus actionibus ultimum intendere finem, ratio naturalis evincit.

§. LXIV.

Cum ultimus finis juxta philosophorum doctrinam in bono perfecto consistat, quo obtento, nil aliud appetit voluntas, jure meritoque *felicitas* seu *beatitudo* ille nuncu-

patur. Felicitas enim ex Boetio status est omnium bonorum aggregatione perfectus, in quo scilicet voluntati propter boni plane sufficientis possessionem nil manet amplius exoptandum (1) Unde compertum est, rationes, quibus hominem ex naturae necessitate felicitatem semper inquirere comprobatur, ad thesim nostram firmiter stabiliendam aeque praestare. Praenotamus interim, hominem triplici modo actiones in finem dirigere posse. Dirigitur actus humanus in finem *actualiter*, cum in operante actualis sit cognitio finis, actualis intentio, actualis demum electio mediorum, quae ad finem ordinantur: dirigitur *virtualiter*, si praefati actus praecesserint, nec fuerint revocati, ac perseverent non in se, sed in effectu per actus subsequentes: dirigitur tandem *habitualiter*, quando quis, etiamsi plures actus jam antea posuerit quoad finem, nihil tamen agit, nec quidquam intendit actualiter, ut dormiens (2). Advertendum insuper, ultimum finem vel generatim spectari posse

(1) Post Aristotelem lib. 1. Ethicor. Cap. 7. in idem consentit D. Augustinus. Ab eo siquidem in Psalm. 2. definitur beatitudo, id, in quo -- est bonorum omnium summa --; et lib. 5. de Civit. D. Cap. 1. -- rerum optandarum cumulata plenitudo --.

(2) Ejusdemmodi principia tradit, ac dilucide illustrat de more Angelicus Doctor in Quaest. disput. Quaest. de Caritate art. 11. ad 2. et 3.

sub quadam communi ratione summi boni, qualecumque illud sit, quod valet cumulate ad hominem perficiendum, vel particulatim ratione determinati objecti, in quo quis suum finem ultimum reponit, existimans, in eo summum et completum bonum haberi.

§. LXV.

Hisce ad ambages devitandas praemissis ut quaestio solvatur, hac perspicua ratione cum D. Thoma argumentamur (1). Una et intimo sensu et experientia monemur, hominem nil appetere posse, nisi sub specie boni; a malo autem, quatenus repraesentatur ut malum, continenter declinare. Quidquid enim ut malum apprehenditur nihil habet in se, quo pertrahi possit voluntas. Consequens inde est, hominem virtualiter saltem suas deliberatas actiones in ultimum finem semper ac necessario dirigere. Nam objectum, quod voluntas appetit, si bonum perfectum ab ea censeatur, tum veluti finis ultimus intenditur; sin vero ut bonum imperfectum consideretur, tum vel agentis intentione, vel suapte natura hoc ipsum refertur in bonum perfectum, seu, quod idem est, in ultimum finem ordinatur: hoc adeo certum est, quemadmodum certo constat, progressum finium

(1) Eodem loco art. 6.

in infinitum commentitium fore (1). Homo itaque semper ac necessario aliquem finem ultimum suarum actionum vel explicite, vel saltem implicite sibi proponit.

§. LXVI.

Veritatem ejusmodi diserte fatetur Episcopus Hipponensis Sermone 150. de Epicureis et Stoicis dicens: = Communiter omnes philosophi studendo, quaerendo, disputando adpetiverunt apprehendere vitam beatam. Haec una fuit causa philosophandi. Sed puto, quod etiam hoc philosophi nobiscum commune habent. Si enim a vobis quaeram; quare in Christum credideritis; quare christiani facti fueritis, veraciter mihi omnis homo respondet, propter vitam beatam...... Nam et qui bonus est, ideo bonus est, ut beatus sit; et qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret... Verbi gratia pone aliquem furem: quaere ab illo: quare furtum facis? Ut habeam, inquit, quod non habebam. Quare vis habere quod non habebas? Quia miserum est non habere. Si ergo miserum est non habere, beatum putat habere. Sed in eo imprudens est, et errat, quia de malo vult beatus fieri = . Inter ethnicos autem philosophos, qui hac in re idem omnino

(1) Ex D. Thoma 1. 2. Quaest. 1. art. 4.

senserunt prae caeteris Tullium in medio profert citatus Doctor lib. 3. de Trinitate cap. 4. En Augustini verba: = Pro verissimo certissimoque posuimus, beate vivere omnes homines velle... Neque de hoc Academicus ille Cicero dubitavit, qui cum vellet in Hortensio Dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret sumere suae disputationis exordium; *beati certe,* inquit, *omnes esse volumus* = (1).

§. LXVII.

Thesim adhuc probatam sequentia oppugnare videntur. Si animum quis intendere velit ad objecta particularia, circa quae de fine ultimo ne cogitantes quidem plerique occupari solent, jure concludet, non semper ac necessario propter ultimum finem hominem operari. Quod consectarium eo magis firmatur, si animadvertamus justum ipsum, cui finis ultimus Deus est, nec semper agere, nec omnia propter Deum. Saepe namque is venialiter peccat: porro in Deum veluti in finem ultimum referri nequit peccatum utcumque leve. Ergo dicendum, aut duo ultimos fines hominem sibi proponere posse, quod absurdum est (2); aut non semper

(1) Videatur insuper idem S. Pater Serm. 1. in Psal. 118.

(2) Hominis plures esse non posse ultimos fines Divus Thom. ostendit 1. 2. Quaest. 1. art. 5.

ac necessario in ultimum finem actiones ordinare. Ad rem quoque confert illius exemplum, qui taedio vitae affectus necem sibi consciscit. Hic profecto nec finem ultimum appetit, nec felicitatem, cum ab ea maxime recedat vitam sibi adimendo, quae omnium est optimum bonum. Verum apage nugas. Hisce namque veritas non concutitur, sed clarius effulget. In primis enim non diffitemur, plura sine deliberatione ab homine fieri, quae idcirco actus hominis erunt, non humani, non morales: de iis vero non disputamus. At si deliberatio saltem virtualis praecedat actus hujusmodi, qui per se indifferentes existimantur, tum actus ipsi, utpote humani, in finem aliquem ultimum referuntur, uti ex traditis (praeced. §. LXVI.) manifestum est. Quid porro de justo leviter peccante dicamus? Dum ille peccat, in Deum procul dubio non tendit: idque certo probat, hominem in omnibus non agere ob finem ultimum particularem, quem aliunde prosequitur. Hoc vero non impedit, quominus in finem ultimum generice spectatum, idest in felicitatem homo semper ac necessario feratur. Unde cum haec duo extrema invicem in homine consistere valeant; nempe = Justus non semper agit ob finem ultimum *sub ratione particulari* sibi propositum =: = justus, non secus ac ceteri ho-

mines, semper ac necessario ultimum finem appetit *sub communi ratione* consideratum =; haec difficultas manet penitus resoluta. Neque gravioris momenti illud est, quod postero loco de suicidio objectatur. Quandonam enim, exposcimus, quibus in casibus violentas in se manus homo convertit? Tum profecto solum, cum in adversis, licet per errorem, sibi suadet, satius esse mori, quam infeliciter vivere. Cum igitur a naturali quadam propensione erga felicitatem suicidium procedat, quin thesim nostram infirmet, eam validius corroborat (1).

ARTICULUS SECUNDUS

Ultimus finis hominis in nullo bono creato consistere potest.

§. LXVIII.

Quamquam semper ac necessario (ex demonstratis art. 3. praeced.) in idem omnes conveniant, ut ultimum finem in genere sumptum, beatitatem nempe, consequi velint;

(1) Haec resolutio apprime convenit doctrinae D. Thomae, qui 1. 2. Quaest. 19. art. 4., proposita sibi quaestione -- Utrum aliquis possit habere odio seipsum -- ad 2. sic respondet: -- Nullus sibi vult, et facit malum, nisi in quantum apprehendit illud sub ratione boni. Nam et illi, qui interimunt se ipsos, hoc ipsum quod est mori apprehendunt sub ratione boni; quatenus est terminativum alicujus miseriae, vel doloris --.

tanta nihilominus est humani intellectus hebetudo, tanta cordis humani in malum proclivitas, ut plerique in hoc fine speciatim sibi constituendo persaepe incassum laborent, atque a vero aberrantes felicitatis objectum in iis reponant, quae a felicitate ipsa longe maxime abducunt. Atque, ni fallimur, haec causa fuit, ob quam sapientiores antiquitatis homines cum se se ad philosophiae studium contulerint, ut quid sit beate vivere addiscerent, tam vitiose defecerunt, ac, teste Augustino de Trinit. lib. 13. cap. 4. =, ut eos quaeque res maxime delectavit, ita in ea constituerunt vitam beatam =. Eorum autem tot, tamque varia placita fuere, ut citatus Doctor haec scribere non dubitaverit lib. 9. de Civit. Dei cap. 1. = Marcus Varro in libro de philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter ac subtiliter scrutatus advertit, ut ducentas octoginta octo sectas, non quae jam essent, sed quae esse possent, adhibens quasdam differentias facillime perveniret =. Sed vana pseudo-sapientum commenta plane subvertuntur, si revelatione duce, si recta quoque duce ratione, monstretur Summum Bonum, quod est finis ultimus hominis, in nulla re creata consistere posse.

§. LXIX.

Quod ut praestare valeamus, per cuncta bona creata discurrentes ita argumentum instituimus. Si in objecto quolibet creato hoc summum bonum constituatur, nonnisi sequentia poterunt excogitari; nempe illud esse vel in bonis fortunae, vel in bonis corporeis, vel in bonis animi, vel tandem in eorum omnium congerie. At in hisce creatis sive distribute sive cumulatim sumptis non reperitur summum bonum, veraque hominis beatitudo. Perperam ergo finis ultimus hominis in rebus creatis perquiritur. Cum de propositione majori ambigendum non sit, minor singillatim comprobatur.

1. Itaque Summum Bonum in iis esse non potest, quae bona fortunae appellantur. Numquid enim ad fortunae bona pertinent divitiae, ac cetera commoda vitae, quae ex iis comparantur? Cuncta haec homini deserviunt, atque ad usum vitae ordinari solent. Sed finis ultimus ad hominem referri nequit, cum in illud homo debeat ordinari. Non ergo in divitiis reponendus est finis ultimus ac vera hominis beatitudo. Illud etiam accedit, quod beatitudo omne bonum complectatur oportet, ne voluntati quid supersit optandum: at corporea quidem bona divitiae pariunt, non vero animi, quae pre-

tiosiora sunt et ordinis superioris. = Quid autem prodest stulto divitias habere, cum sapientiam emere non possit? = (Proverb. 17. 16.) Beatitudo quoque bonum est constans: contra fluxae sunt opes, concupitae perturbant, possessae vilescunt, affligunt amissae; adeo ut jure concludi possit de homine tenaci cum Ecclesiaste cap. 2. v. 23. = cuncti dies ejus doloribus et aerumnis pleni sunt =. Hinc eodem cap. v. 8. 9. et 11. legitur: = Coacervavi mihi argentum, et aurum.... supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem.... vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi = . Numne ad bona fortunae honos refertur, num fama? Honores ut plurimum obscurantur invidia, obtrectationibus fama impetitur: multa eis adversa metuenda sunt, multaque saepe necessaria desunt: haec uno verbo, sunt *vapor ad modicum parens* (1). Non ergo in honore, et fama beatitudo, quae bonum est firmum, immutabile, undequaque perfectum (2). Anne fortunae bonum potestas? At ne id quidem summum bonum; = non enim cuncti homines regnare pos-

(1) Ep. Cathol. D. Jacobi Cap. 4. v. 15.

(2) Huc referuntur verba David de peccatorum gloria ita scribentis Ps. 36. v. 35. 36. -- Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat; et quaesivi eum, et non est inventus locus ejus --.

sunt, et necesse est universos summi boni esse capaces = (1). Beatitudo bonum est propter se possessum, non propter aliud, cum sit omnium finis: non convenit igitur potestati, quae ad alios ordinatur; nam, ut ait S. Isidorus Pelusiota lib. 3. Ep. 74. = Imperii regula est, quae ad subditorum utilitatem omnia molitur =. Potestas demum sollicitudinibus plena est, obnoxia periculis ex eo vulgari effato *necesse est, ut multos timeat, quem multi timent:* inquieta est, cum potentes ad majora saepe contendant: instabilis et ipsa, qui enim *rex hodie est, cras morietur* (2). Non ergo beata potestas.

2. Minus autem summum bonum reperire fas est in bonis corporis, in voluptate scilicet, uti Aristippo et Epicureis visum est placuisse (3). Ea siquidem ab homine evellit animi bona quae sane praestantiora sunt, cum una consistere nequeat cum virtute, cujus officium potissimum est voluptates contemnere. Heic adjiciatur quoque argumentum Lactantii ibidem cap. 11. *de Religione, Sapientia, ac Summo Bono* dicentis: = Quodcumque est summum bonum, necesse est omnibus esse propositum. Voluptas

(1) Lactantius divin. instit. lib. 3. Cap. 11.
(2) Ecclesiastici Cap. 10. v. 12.
(3) Lactant. cit. loc. Cap. 8.

est, quae appetitur a cunctis: sed haec et communis est cum belluis, et honesti vim non habet, et satietatem affert, et nimia nocet, et processu minuitur aetatis, et multis non contingit: nam qui opibus carent, quorum major est numerus, etiam voluptate careant, necesse est. Non est igitur summum bonum, sed nec bonum quidem voluptas =.

3. In bonis animi summum bonum collocarunt Stoici, imo etiam Epicurus (1) si verius amplecti velimus. Verum cum animi bona vel in scientia, vel in virtute et honestate ponenda sint; si perquiratur an scientia sit summum bonum, id prorsus negamus. Ea quippe et corporum infirmitatibus saepe languescit, et senescente aetate minuitur, et errorum tenebris quandoque praepeditur. Quocirca in Ecclesiastico cap. 1. v. 18. habemus: = Qui addit scientiam, addit et laborem =. Virtute porro quamvis nil pulchrius, nilque suavius in rebus humanis haberi possit; quamvis haec omnibus, utpote bonum, sectanda proposita sit; quamvis ad summum ipsum bonum recta perducat, illud tamen non est. Etenim prope multis invisa est virtus: et licet justum aliis forte in hac

(1) Vide, sis, Senecam de vita beata Cap. 12. 13., Gassendum in hist. Epic. et Stanleium histor. Philos.

vita infeliciorem sustineat in egestate, in morbis, in doloribus perferendis, illum nihilominus hisce malis expertem non reddit.

4. Quod autem fortunae, corporis et animi bona seorsim praestare nequeunt ex superioribus animadversionibus, id neque sane praestabunt si invicem collecta effingantur. Merito despicienda est haec hypothesis, quantumvis Peripateticis arrideat (1). Perfecta namque beatitudo ex definitis (§. LXIV.) ejusmodi sit oportet, ut appetitui nihil ultra expetendum relinquat. Veruntamen haec omnia, et plura quoque, si adessent, minus apta sunt ad animum ita explendum, ut nil aliud maneat desiderandum ulterius. In hisce ergo rebus creatis vera beatitudo, hoc est summum bonum, et ultimus finis hominis haberi non potest, Hoc ipsum consectarium ex libro Sapientiae deducimus, ubi sacer scriptor fallacia et caduca mundi bona contuens ad rem nostram ait cap. 5. v. 9. et seq. = Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius praecurrens, et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam; cujus, cum praeterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinae illius in fluctibus: aut tamquam avis, quae transvolat in aere, cujus nullum invenitur

(1) Vide Prolegomena pag. 5.

argumentum itineris... aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius... Spes impii tamquam lanugo est, quae a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis =.

§. LXX.

Veritatem hanc passim in eorum operibus docuerunt SS. Ecclesiae Patres; quorum instar omnium sint Cyprianus, Augustinus, et Bernardus. Prior Epistola ad Donatum fucata haec bona appellat *speciosa supplicia.* Alter lib. 4. Confessionum cap. 12. inquit: = Redite errantes: quod quaeritis, ibi non est ubi quaeritis.... Beatam vitam quaeritis in regione mortis: non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? = Postremus vero Epistola 105. loquens de bonis creatis; haec, subdit, = possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant =. Neque inter ipsos ethnicos philosophos, qui idem agnoverint, defuere. Nonnulli, uti Diogenes, et Crates, divitiis utpote inanibus posthabitis, mundi bona contempserunt, abdicarunt. Tullius autem lib. 1. de Finib. N. 18. ita scribit: = Animi morbus sunt cupiditates immensae et

inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum =. (1). Eadem prorsus habet Seneca in libro de Consolatione ad Polybium = Omnia ista bona, quae non speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur, eosque ipsos, quos exornant et premunt: plus minantur, quam prosunt = (2).

ARTICULUS TERTIUS

Deus solus est ultimus finis hominis, ejusque perfecta beatitudo.

§. LXXI.

Objectum perfectissimum quod adaequate voluntatem hominis explere valeat, quodque in rebus creatis datum non est invenire, nonnisi in Deo reperiri posse Sacrae Literae tradunt. De seipso enim testatur Dominus in lib. Apocalypsis cap. 22. v. 13. = Ego sum primus, et novissimus; principium et finis =. In eo plenam absolutamque hominis beatitatem David reponit Psalm. 16. v. 15. dicens: = Satiabor cum apparuerit gloria

(1) Consimilia habentur. lib. 2. de Finib. N. 27.

(2) Vide etiam ejusdem caput 23.

tua =. Ad haec attendens D. Augustinus inquit lib. de Moribus Ecclesiae cap. 8. = Bonorum summa Deus nobis est. Deus nobis est summum bonum nec infra remanendum nobis est, nec ultra quaerendum; alterum enim periculosum, alterum nullum est =. Rursus tractatu de Epicureis et Stoicis cap. 7. = Jam constitutis ante oculos nostros tribus, Epicureo, Stoico, Christiano, interrogemus singulos. Dic Epicuree: quae res facit beatum? Respondet, voluptas corporis. Dic Stoice: virtus animi. Dic Christiane: donum Dei =. Item lib. 1. Confessionum cap. 1. sic clamat: = Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te =: Item lib. 4. cap. 5. = Infelix homo, qui scit illa (bona creata), te autem nescit: beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat: qui autem te et illa novit; non propter illa beatior, sed propter te solum beatus =.

§. LXXII.

In id consentit ipsamet ratio naturalis, qua sic argumentamur. Ultimus finis, et objectum felicitatis hominis vel Creator est, vel creatura, cum inter haec duo extrema medium non adsit. Atqui tale objectum et finis nequit esse creatura; ultimus namque finis nonnisi bonum constans, perfectum et

immensum esse potest; quae proprietates Creatori quidem, non creaturae conveniunt. Solus ergo Creator esse potest verus finis ultimus hominis, ejusque felicitatis objectum. Verum hac de re nos audire non pigeat Angelicum Doctorem, qui 1. 2. Quaest. 2. postquam ostenderit veram beatitudinem, quam homo appetit veluti finem ultimum, neque in divitiis et honoribus, neque in gloria et potestate, neque in voluptate, aut alio quolibet corporis vel animi bono consistere, subdit art. 8. = Respondeo dicendum, quod impossibile est, beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato. Beatitudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum; alioquin non esset ultimus finis, et adhuc restaret aliquid appetendum. Objectum autem voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet, quod nihil quietare potest voluntatem hominis, nisi bonum universale: quod non invenitur in aliquo bono creato, sed solum in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest secundum quod dicitur in Psal. 102. v. 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* In solo igitur Deo beatitudo hominis consistit =.

ARTICULUS QUARTUS

Actus humani in Deum tamquam in finem ultimum sunt referendi.

§. LXXIII.

Divinum extare mandatum, quo quisque omnes actus virtualiter saltem in Deum referre tenetur, multifariam ostendi potest. Id in primis luculentissime docent Scripturae Sacrae, atque illud praesertim Matthaei cap. 22. v. 37. = Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua =. Quae verba praeclare explicans D. Thomas 1. 2. Quaest. 100. art. 10. ad 2. ait: = Sub praecepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: et ideo praeceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum =: item in Quaest. disputat. Quaestione de caritate art. 11. ad 2. = Omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita; sicuti non est possibile, quod semper de Deo cogitetur, hoc enim pertinet ad perfectionem Patriae. Sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur =. Idipsum praecipit Paulus Apostolus Ep. 1. ad Corinthios

haec scribens cap. 10. v. 31. = Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite =: et ad Colossenses cap. 13. v. 17. = Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini J. C. = Id insinuant praeterea Ecclesiae Patres, inter quos prae primis audiatur D. Basilius in *regulis fusius tractatis respons. ad* 5. *interrogat:* dicens: = Christianus, omni actione tam parva, quam magna ad Dei voluntatem directa, simul et opus suum diligenter conficit..... et perficit praeceptum illud: *sive manducatis* etc =. Audiatur D. Augustinus, qui lib. 1. de doctr. Christ. cap. 22. inquit: = Haec regula dilectionis divinitus constituta est, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa, quae confers =: et in Psal. 55. = Quo fine facias vide. Si eo id facis, ut tu glorificeris, hoc prohibuit: si autem ideo ut Deus glorificetur, hoc jussit =. Audiatur tandem D. Bernardus Serm. 2. de diversis N. 5. En ejus verba: = Quidquid facimus, jubemur facere propter gloriam Dei =. Accedit postremo ratio naturalis hoc pacto concludens. Lege aeterna atque immutabili hic ordo naturae constitutus est, ut summo loco sit Deus, medio infra Deum creatura sit rationalis, infimo

denique reliquae creaturae; adeo ut soli Deo rationalis creatura subjici teneatur, ceterae autem rationali creaturae deserviant. Porro vel ab homine servatur hujusmodi ordo, vel perturbatur per amorem; homo namque per amorem se subjicit rei, quam propter se diligit, et in qua finem ultimum constituit. Qui ergo creaturam propter seipsam amore prosequitur, ac in ea sistit velut in ultimo fine, mirum hunc ordinem perturbat, atque aeternae legi adversatur. Sed legem aeternam violare nefas omnino est. Tenetur itaque homo Deum solum ut finem ultimum actionum sibi constituere, ne ordinem infringat ab aeterna lege firmatum.

§. LXXIV.

Contrariae sententiae, si qui sint patroni, videamus, quid proferre valeant adversus argumentum e SS. Literis a nobis depromptum. Cum vero quae forte opponi possent ad haec tria capita revocentur, sit igitur:

Objectio 1. An absolute praeceptiva sint Apostoli verba, an simpliciter hortatoria, certo definitum non est. Cum igitur ad merum consilium significandum ea non improprie sumi possint, vim satis probativam pro asserendo praecepto non habent.

2. Posita hujusce praecepti existentia,

consequens esset infideles, qui in Deum profecto actiones non referunt, in omnibus peccare, cum in omnibus actibus divinum praeceptum transgrederentur. Sed ab hoc consectario maxime cavendum est; in eo namque doctrina Baj continetur ab Ecclesia damnata (1). Tale igitur praeceptum admittendum non est.

3. Verum etiamsi detur, Apostolum inibi mandatum indicere, illud *affirmativum* erit, non *negativum;* secus de re impossibili ageretur. Si affirmativum est; ergo non obligat *semper et pro semper,* ut inquiunt Scholastici, sed aliquibus tantum in circumstantiis. Si in aliquibus circumstantiis obligat: ergo aliquos actus in Deum referendos esse, ultro conceditur: omnes vero negatur.

§. LXXV.

Haec tamen, quae objecta fuere, praeceptum, quod e SS. Literis deduximus, ne minime quidem labefactant.

Ad 1. enim notamus, Apostoli verba absurde nimis ad merum consilium referri. Nam si juxta Hermeneuticae principia, dum obscura vel ambigua verba explicanda occurrant, eorum sensus ex contextu potissime desumendus est; hac regula adhibita, ex antecedentibus et consequentibus insimul

(1) Videatur Laur. Berti theol. Discipl. t. 2. lib. 18. Cap. 2.

conlatis procul dubio et quaevis dubitandi causa evanescit, et via tergiversationibus occluditur. Porro antecedenter in eodem capite vetat Apostolus, ne Christi fideles idolothitis cum aliorum offendiculo vescantur: subsequenter praecipit, eos sine offensione esse judaeis, gentibus, et Ecclesiae. Si ergo in toto sermonis contextu jubendo loquitur Paulus, quo jure concludi poterit iis verbis intermediis *sive manducatis* etc; eum non praecipere, sed consulere? Praeterea si vim spectemus vocis imperativae *facite*, qua utitur Apostolus, haec satis indicat non consilium eum tradere voluisse, sed praeceptum absolutum. Non aliter profecto sentit Augustinus, qui lib. de Correptione haec habet: = Apostolus praecipit, dicens: *Omnia vestra in caritate fiant* =. Addatur insuper Angelicus Doctor, qui de Apostoli verbis ita scribit 2. 2. Quaest. 69. art. 1. = Ex praecepto tenemur omnia in gloriam Dei facere =: et lect. 3. in cap. 3. ad Colossens. = Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum =.

Ad 2. Reponimus infideles, quamvis revelationis lumine illustrati non sint, duce tamen ratione, Deum agnoscere posse juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 1. v. 21. = cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt =. Quocirca nihil impedit, quin

et ipsi vel directe actus referant in Deum, vel saltem indirecte, scilicet in finem honestum. Unde eorum opera tum erunt naturaliter bona, licet merito in ordine supernaturali destituta. Qua de re, admisso praecepto de referendis actibus in Deum, non consequitur ex eo Bajana doctrina, qua infideles in omnibus operibus peccare dicuntur.

Ad 3. Heic pro nobis respondet D. Thomas in 2. sentent. Distinct. 40. Quaest. 1. art. 5. ad 7. = Quod dicitur, inquit, *omnia in gloriam Dei facite* potest intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, sic est sensus: nihil contra Deum faciatis, et hoc modo praeceptum est.... Si autem intelligatur affirmative, potest esse dupliciter: aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostrae cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primae ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus....... et sic adhuc praeceptum est.... Vel ita quod ordinatio actualis in Deum sit actu conjuncta cuilibet actioni nostrae; et sic potest intelligi dupliciter: vel distributive, vel collective. Si distributive, sic est sensus: quamcumque actionem facitis, melius est si eam actu in Deum ordinetis: et sic est consilium. Si autem sumatur collective, sic est sensus: omnia opera vestra ita faciatis, quod nullum

eorum sit, quin actu in Deum ordinetis: et hoc nec praeceptum, nec consilium est =. Qua praemissa Angelici doctrina, jam liquido patet, impossibilem non fore hujusce praecepti custodiam: per hoc enim non requiritur ut actu, sed ut virtute saltem ac interpretative omnes actus in Deum referantur, nempe in finem honestum: honestas siquidem, ad quam ab operante dirigitur bona quaelibet actio, in honestatis fontem, qui Deus est, per se ordinatur.

§. LXXVI.

Sed ex alio principio nova rursus contra nos difficultas hac ratione instauratur. Si in Deum omnes actiones dirigendas esse ponamus, nullus erit actus humanus indifferens; nam vel bonus erit, si referatur, vel malus si non referatur in Deum. Atqui dantur actus humani indifferentes, et quidem non *in specie* tantum, sed etiam *in individuo* spectati. Corruit igitur sententia super (§. LXXIII.) defensa. Major propositio in dubium revocanda non est: minorem sequentia demonstrant.

1. Actiones indifferentes haberi perspicue docet Hieronymus Ep. 74. ad Augustinum scribens: = Bonum est continentia; malum est luxuria: inter utrumque indifferens ambulare. Hoc nec bonum, nec malum

est: sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam =.

2. Opinio actiones indifferentes excludens ad unguem convenit propositioni Joannis Hus, quae hisce verbis exprimitur: = Nulla sunt opera indifferentia; sed haec est divisio actuum humanorum, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa =. Verum propositionem hanc Constantiense Concilium Sess. 15. damnavit. Ergo opinio, de qua controversia movetur erronea est, viroque catholico indigna.

3. Actus, qui vulgo indifferentes appellantur, si tales revera non essent, aut voveri possent si boni, aut materia forent confessionis si mali. Utrumque vero absurdum, quia neque ad votum, neque ad confessionem pertinent actus indifferentes juxta communem theologorum doctrinam.

4. Quidquid convenit speciei, etiam cuilibet individuo proprium est. Sed actiones indifferentes in specie nemo unus inficiatur. Eas igitur indifferentes quoque in individuo admittere necessum est.

5. Plura fiunt ob naturalem delectationem: uti suavem edere cibum, armonicis modulationibus auditum praebere, pergrato odore olfactum recreare etc. Haec non sunt moraliter bona, quia, per se ad virtutem non tendunt; imo neque mala sunt, posito quod in pravum finem non dirigantur; sed

licite fiunt naturalis delectationis causa. Ergo sunt indifferentes perinde ut indifferens est ambulare, sedere, brachia aut pedes contrahere vel extendere aliaque hujusmodi, quae ob commoditatem saepe fieri solent.

Quibus omnibus cum propositio minor satis firmata sit, jam viget argumentum sententiam oppugnans, qua referendi omnes actus in Deum asseritur obligatio.

§. LXXVII.

Quam leve sit fundamentum, cui tota innititur opposita difficultas, perfacile nobis erit ostendere, si hypothesis de actibus in individuo indifferentibus evertatur. Verum antequam rem aggrediamur, doctrinam praemittimus D. Thomae 1. 2. Quaest. 92. art. 2. dicentis: = Sunt autem tres differentiae humanorum actuum. Nam quidam actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum; et respectu horum ponitur legis actus *praecipere*.... Quinam sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi; et respectu horum lex habet *prohibere*. Quinam vero ex genere suo sunt actus indifferentes, et respectu horum lex habet *permittere* =. Hactenus S. Doctor, cui, nullo excepto, suffragantur Theologi indifferentiam actuum humanorum asserentes, si in se ipsis, sive, ut ajunt, in *specie* considerentur. At *in individuo* spectatus,

juxta nempe intentionem operantis, dari ne potest actus humanus indifferens? En controversia, ob quam non parum hinc inde pugnatum est. Pro affirmativa parte scripsere Alensis, D. Bonaventura, et Scotus cum suis: pro negativa post Angelicum Thomistae, Augustinenses, Bellarminus, ac recentiores omnes (1). Posteriorem sententiam utpote veram amplexamur, eamque sic demonstrandam suscipimus. Si quispiam actus indifferens in individuo habendus esset, ille foret profecto, qui *verbum otiosum* nuncupatur. Sed ne verbum quidem otiosum indifferens est, cum et illud divinae ultioni in extrema die subjiciatur juxta illud Matth. cap. 12. v. 36. = Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii =. Ergo de nullo actu in individuo dari potest indifferentia (2). Nobiscum sentit D. Hieronymus ita concludens in

(1) Videantur Theol. Mor. B. Alphonsi de Ligorio tom. 2. lib. 5. de Actibus Humanis art. ult. Theolog. discipl. Laurent. Berti tom. 2. lib. 21. Cap. 2. et Theol. schol. dogm. Cardin. Gotti tom. 7. tract. de Actib. Hum. Quaest. 3. Dub. 6.

(2) Quid par verbum otiosum intelligendum sit, passim Ecclesiae Patres declarant. Otiosum enim verbum dicitur ab Hilario in Cap. 12. Matth. -- verbum ineptum ac inutile --; a Gregorio M. Homil. 6. in Evang. -- quod utilitate rectitudinis, aut ratione justae necessitatis caret --; a Bernardo lib. de triplici custodia -- quod nullam rationabilem causam habet --.

Psal. 16. = Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus? = Ab hac doctrina neque discrepat D. Augustinus, qui lib. de utilitate credendi cap. 12. scribit: = Omne factum, si recte factum non est peccatum est; nec recte factum ullo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur =: et Ep. 82. ad Hieronymum: = Cavendum est, ne, sicut philosophi, facta quaedam hominum dicamus media inter recte factum, et peccatum; quae neque in recte factis, neque in peccatis numerentur. Demum eadem veritas invicte firmatur argumento rationis, quod hisce verbis nobis praebet D. Thomas ibidem Quaest. 18. art. 9. =. = Oportet, quod quilibet actus individualis habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex ipso repugnat rationi, et habet rationem mali: si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse, vel malum =. Hisce brevi exaratis, per quae

actus in individuo indifferentes penitus eliminantur, age nunc ea pro viribus convellamus, quae adversae parti favere videntur. Singulis autem objectis singulae respondeant oppositiones.

Ad 1. Animadvertimus abs re omnino fore verba Stridonensis Doctoris (1). Hic enim dum bonum *continentiam* appellat, eam conspicit in se, et objective scilicet *in specie.* Quomodo enim tam absolute asserere potuissset continentiam bonum in individuo, cum quandoque in individuo inspecta ipsamet continentia malum esse possit? Nonne culpanda erit haec virtus, ceteroquin in se praestantissima, si vel conjugii juribus adversetur, vel ex pravo fine, nempe avaritiae causa, aut ob inanem jactantiam custodiatur? Vi paritatis dicendum, Hieronymum in specie quoque spectare actum ambulandi, atque hoc sensu indifferentem pronunciare. Neque obstant verba, *sive feceris, sive non:* talis quippe loquendi modus vulgari significatione adhiberi solet ad actum denotandum sive in specie, sive in individuo consideratum.

Ad 2. Non quod catholico sensu actus in individuo indifferentes rejiceret Joannes Hus,

(1) Sylvius Quaest. 18. art. 9. asserit, ac probat ex propria sententia citatum Patrem non loqui.

ejus propositio a Synodo Constantiense proscripta fuit, sed quia erronea doctrina, et a fide orthodoxa prorsus aliena ibi tradebatur. Id plane compertum est ex verbis eandem propositionem consequentibus =. Si homo est vitiosus, et agit quidquam, tum agit vitiose; et si est virtuosus, et agit quidquam, tum agit virtuose, quia sicut peccatum inficit universaliter omnes actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus virtuosi =. Quae cum ita sint in cassum necessario ruit secundum argumentum.

Ad 3. Etiamsi boni evadant in individuo actus qui indifferentes sunt in specie, falso colligitur, eos fieri posse voti materiam. Cum etenim ad votum non sufficiat, ut res sit bona simpliciter, sed requiratur ut sit de meliori bono, hinc ratio procedit, ob quam actus simpliciter bonus in individuo voveri non possit. Sin antem actio per se indifferens ex pravo operantis fine vitietur, cur non erit in Poenitentiae Sacramento Ecclesiae clavibus subjicienda? De hoc sane dubitandum non est: nam si materia sufficiens, aut etiam necessaria Confessionis fit actio in specie bona, cum ab operante in pravum finem dirigatur, idem pariter concludatur oportet, si hoc eveniat de actu in specie, et objective indifferenti.

Ad 4. Quae conveniunt speciei, individuo

quoque competere ab adjunctis praeciso, haud invite fatemur. Sed plura ob adjuncta convenire dicimus individuo, quae in specie non continentur. Et revera actio indifferens in specie suam indifferentiam objectivam servat etiam in individuo spectata: eadem tamen actio ex adjunctis bona efficitur vel mala, scilicet ob accedentem aliquam circumstantiam, ac praesertim ob circumstantiam finis, in quem actio ordinatur. Cum igitur plura individuum peculiariter attingere valeant, quae ad speciem non attinent; perspicuum est, nullam intercedere contradictionem, nullum absurdum, cum dicatur, actus humanos indifferentes in specie, ex fine operantis, hoc est, in individuo aliquid semper moralitatis habere.

Ad 5. Distinguimus cum Angelico 1. 2. Quaest. 4. art. 2. ad 2. appetitum sentientem, qui in delectationem fertur, a rationali, qui intellectum sequitur, et in bonum ordinatur. Hoc posito, indubitatum est, quod agere ex solius delectationis motivo maxime differt ab agendo cum delectatione actum comitante. Primum a malo non excusatur ex prop. ab Innoc. XI. damnata, qua asseritur = comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus

frui =. Alterum contra de se malum non est, quia, etsi appetitus sensitivus ob delectationem ad comedendum e. c. inducatur, appetitus rationalis principalius hanc delectationem non intendit, sed bonum potius honestum, propter quod ab Auctore naturae homini indita fuit ipsamet haec delectatio. Quoad actus porro, qui ob commodum fieri dicuntur poscimus, utrumne a deliberatione procedant? Si indeliberate fiant, actus hominis erunt, non humani: si vero sint deliberati, tum actu, aut virtute in bonum finem, vel malum referuntur; idcirco indifferentes non erunt in individuo (1).

Cum itaque, sive ex positivis rationibus jam traditis, sive ex levitate oppositionum, quae mox resolutae fuere, in suo robore maneat sententia, quae actiones indifferentes in individuo non admittit, manifestum est, dirimi penitus difficultatem ex indifferentia actionum deductam adversus thesim (§. LXXIII.) a nobis demonstratam.

(1) Ita docet ibidem S. Thomas Quaest. 18. art. 9. ad 3. dicens: -- Hoc ipsum, quod aliquis agit ordinate ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis -- .

ARTICULUS QUINTUS

Beatitudinis, quae est ultimus humanarum actionum finis, traduntur proprietates.

§. LXXVIII.

Catholica veritas, quae spei theologicae fundamentum constituit, quaeque beatitudinem, tamquam finem ultimum ac praemium bonorum operum justis post vitae exitum repromittit, jam plures ab ipso aevo apostolico nacta est adversarios. Horum prior Cerinthus, nonnullis SS. Scripturarum testimoniis in pravum sensum detortis, commentitium quoddam mille annorum regnum voluptatibus carnalibus redundans fabulatus est, in quo post futuram corporum resurrectionem homines tum beatitatem consecuturos asseruit (1). Cerintho adhaerere non puduit Marcionitas saeculo Ecclesiae secundo (2), Apollinaristas saeculo quarto (3), et Vigilantium, qui eis tamen dumtaxat in hoc consensit, quod beatificam visionem justis dilatam arbitraretur (4). Quamvis ab impuro millenariorum dogmate abhorreret Papias

(1) Id constat tum ex Dionysio Alexandr. apud Euseb. hist. Eccl. lib. 3. Cap. 28., tum ex Augustino lib. de Haeres. Cap. 28.

(2) Videatur Tertullianus lib. 3. adversus Marcionem.

(3) Ex oratione 51. D. Gregorii Nazianzeni.

(4) Testis est ipse Hieronymus, qui contra Vigilantium conscripsit.

Hieropolitanus in Asia Episcopus, terrenum et ipse regnum excogitavit spiritualibus animi deliciis cumulatum (1); ejusque sententia placuisse visa est Justino, Irenaeo, Lactantio, aliisque pluribus catholicis viris ceteroquin praeclaris (2). Antiquorum figmentum rursus ab orco revocarunt ex parte saltem novatores saeculi decimi sexti Lutherus Praelect. in Genesim, et Calvinus lib. 3. Institut. asserentes, ad extremum usque Christi adventum fruitionem gloriae justis differri (3). Millenariorum tandem errorem ineunte saeculo decimo octavo docuit Thomas Burnetus in opere, cui titulum attribuit *De statu mortuorum et resurgentium*. (4).

§. LXXIX.

Quidquid autem hac de re somniaverint eterodoxi, in catholica Ecclesia de fide te-

(1) Vide Eusebium hist. Eccles. lib. 3. Cap. 39.

(2) Plerosque a doctrina Papiae alienos non fuisse, quibusdam Patribus non exceptis, refert D. Hieronymus praef. in lib. 18. in Isaiam. Vide Petavium tom. 1. theolog. dogm. lib. 7. Cap. 14.

(3) Consulatur Bellarminus lib. 1. de Beatitud. Sanctorum Cap. 25.

(4) Ibidem Anglus scriptor enititur suadere -- justis praemia, injustis supplicia tum solum esse retribuenda, quum universum genus humanum Christus visibilis in judicium adducet; imo ne tunc quidem justis aditum futurum in caelos, atque ad beatificum Dei adspectum, sed post mille tantum annos in terrae deliciis exigendos --. Hactenus praestantissimus concivis noster Ludovicus Muratorius in libro, quem adversus Burnetum inscripsit: -- De beatitudine, non expectata corporum resurrectione --.

nendum est, animas, quibus nihil adhuc luendum superest, statim ac fuerint e corpore solutae, beatitudinem uti praemium bonorum operum percipere; cum haec veritas et Sacrarum Literarum testimoniis, et Patrum traditione, et Conciliorum decretis roboretur. Si divina oracula in primis consulantur, nobis occurrunt Ecclesiastici verba cap. 11. v. 28. = Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas =. Id porro si non contingeret, dicendum, quod Deus vel non posset confestim retribuere, vel nollet. Sed absurdum utrumque: unum enim divinae Omnipotentiae, alterum Bonitati adversatur. Mortem ergo consequitur illico sempiterna retributio. Clarius adhuc. = Cum dederit (Deus) dilectis suis somnum; ecce haereditas Domini =: ita in Psal. 126. v. 3. Quid autem per somnum intelligit Psalmista, nisi metaphorice justorum mortem naturalem, quam Psal. 115. v. 15. *pretiosam in conspectu Domini* appellat? Divinae Scripturarum auctoritati accedit SS. Patrum traditio. Inter eos audiatur praesertim Athenagoras in Apologia pro Christianis. = Persuasi sumus, inquit, nos hac mortali vita defunctos, alteram hac terrestri longe meliorem, nempe caelestem, victuros apud Deum, et cum ipso = Ignatius quoque Martyr in Ep. ad Rom. scribit:

= Obsecro vos, ne intempestiva benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci =. Cyprianus etiam tract. de exhort. ad martyr. ad Fortunatum haec habet: = Quis non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut Christo statim gaudeat, ut post tormenta et supplicia terrena ad praemia divina perveniat...? Clauduntur oculi in persecutionibus terrae, sed patet Coelum: minatur antichristus, sed Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituto Paradisus exhibetur. Quanta est dignitas, et quanta securitas, exire hinc laetum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus! = Hisce, aliisque plurimis, quas mittimus, SS. Patrum sententiis (1) apprime consonant definitiones Conciliorum oecumenicorum Lugdunensis II. in fidei professione, Florentini in decreto unionis, ac Tridentini Sessione 25. de invocatione Sanctorum.

(1) Ceterorum utriusque Ecclesiae Patrum auctoritates, e quorum universo consensu plenum et absolutum a traditione desumitur argumentum, referuntur ab Honorato Tournelyo praelect. theolog. tom. 1. part. 1. Quaest. 14. art. 1.

§ LXXX.

Interim ut de Beatitudinis proprietatibus sermonem instituamus, primum inquirendum est, in quo ejus essentia reponenda sit, seu quod idem est, quid *formalem* beatitudinem constituat? Hac de re disputantes in varias abeunt sententias theologi: Thomistae in visione intuitiva beatitudinem formalem consistere docent, in dilectione Scotistae. Nos vero neutram ex hisce opinionibus respuentes, eos lubenter sectamur, qui in visione, amore, et gaudio simul conjunctis formalem beatitudinem agnoscunt. Quod ut demonstretur, in antecessu tria ducimus statuenda. 1. Beati Deum intuentur: = videbimus eum sicuti est = ait Joan. Ep. 1. cap. 3. v. 5. = Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt = : ita in Evang. Mat. cap. 5. v. 8. Haec autem visio non viribus naturalibus intellectus contingit, sed per habitum supernaturalem, quem *lumen gloriae* dogmatici appellant. 2. Beati diligunt Deum; voluntas enim, quae semper ac necessario fertur in bonum, indifferens esse nequit circa Summum Bonum, quod jam videt, quod jam possidet beatus. 3. Beati gaudent: = gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor, et gemitus = Is. cap. 35. v. 20. Quae cum ita sint, hac ratione argumentum con-

ficimus. Cum beatitudo definiatur status omnium bonorum aggregatione perfectus, ad ejus essentiam requiritur adaequata summi boni possessio. Sed hisce tribus deficientibus adaequata hujusmodi possessio concipi nequit. Non sine visione concipitur; hac quippe dempta, intellectus non perficeretur: non sine dilectione, quia per visionem non expletur voluntas, neque summo bono adhaerere potest, nisi per actum sibi congruentem, qualis est amor: non sine tandem gaudio; nam Dei visio et amor necessario fruitionem pariunt, gaudium parit fruitio: unde Augustinus inquit in Psalm. 16. *Caritas sine gaudio esse non potest.* In visione itaque, amore, et gaudio simul reponenda est beatitudinis essentia, videlicet beatitudo formalis.

§. LXXXI.

Hanc porro beatitudinem, qua Deum videndo, ac diligendo justi perfruuntur, sempiternam fore, divina testantur oracula. Legitur siquidem cap. Sapient. 5. v. 16. = Justi autem in perpetuum vivent = : Matth. cap. 25. v. 46. = ibunt..... justi in vitam aeternam =: Joan. cap. 16. v. 22. = gaudium vestrum nemo tollet a vobis = . Idipsum fatetur Petrus Apostolus Ep. 1 cap. 1. v. 4. beatitudinem ibi vocans = haeredita-

tem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem conservatam in Coelis =. Ex ipsa quoque beatitudinis notione ratio naturalis ejusdem aeternitatem sic evincit. Beatitudinis natura ejusmodi sit oportet, ut nil boni ulterius expetendum voluntati supersit, nihil mali timendum. Verum id non praestaret beatitudo, si aeterna non esset; nam anxietate ac metu felicitatis amittendae continuo afficeretur voluntas. Illius ergo beatissimi regni finis non erit, sed ut ait Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. ult. *tum plena erit, certa, secura, sempiterna felicitas* = (1).

§. LXXXII.

Cum Stoicorum dogma, quo *recte facta omnia aequalia: omnia peccata paria adserebantur,* (2) Jovinianus profiteretur, merita quoque et mercedem exaequare non dubitavit. Cui tamen adversantur errori ea plura Sacrarum Scripturarum loca, quibus sempiternae beatitudinis inaequalitas aperte enuntiatur. Catholica veritas apprime constat ex Ep. 1. ad Corint. cap. 3. v. 8. = Unus-

(1) A catholica veritate hic descivit Origenes; tradidit enim, teste Hieronymo et Augustino, finem quandoque habituram beatitatem justorum et damnatorum supplicia. Vide Hieron. Ep. 59. ad Avitum, et Augustin. lib. de haeresib. Cap. 43.

(2) Cicero de Finib. lib. 4. Cap. 19.

quisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum =. Sed labores justorum, quibus merces respondet impares omnino sunt. Ergo impar et merces. Idem Apostolus cap. 15. v. 41. 42. assimilans huic coelo materiali beatitudinem = Alia inquit, claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum =. Quae verba D. Chrysostomus Homil. 41. in 1. ad Corint. sic illustrat: = Tametsi in regno coelesti sint omnes; non omnes tamen iisdem potiri praemiis similitudo illa stellarum significat =. Huic doctrinae illud etiam consentaneum est, quod D. Augustinus scribit tractat. 67. in Joan. = Tamquam stellae sancti diversas.... claritates in Coelo sortientur =. Ipse tandem Servator Christus in Evang. Joan. cap. 14. v. 2. ait: = In domo Patris mei mansiones multae sunt =. Unde Jovinianum sic urget D. Hieronymus: = Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate meritorum? =. Abutebatur quidem Jovinianus evangelica parabola Matthaei cap. 20. qua perhibetur, operarios, etsi non aequaliter in vinea laboraverint, omnes tamen eundem vespere denarium recepisse. Verum, etsi par non fuerit in omnibus la-

boris diuturnitas, qui serius ad laborem accessere nonne majori intensitate potuerunt aliorum adaequare opus, qui totum portaverant *pondus diei, et aestus?* Interim si Patres hac de re consulantur, edocebimur, per denarii mercedem aeque operariis tributam gloriae aeternae praemium quoad substantiam significari, quo certe beati omnes sunt pares, licet inaequalis accidentaliter sit in eis beatitudo, cum aliis alii clarius Deum intueantur. = Denarius ille vita aeterna est, et in vita aeterna omnes aequales erunt: quamvis enim pro meritorum diversitate fulgebunt alius magis alius minus; quod tamen ad vitam aeternam pertinet aequalis erit in omnibus. = Ita prae aliis Augustinus serm. 59. de verbo Domini cap. 4. Ceterum animadvertimus generatim cum Chrysostomo Homil. 64. in Matthaeum, = non oportere omnia, quae parabolae continent verbatim scrutari: sed scopum intelligere, ad quem institutae sunt, eoque percepto nihil amplius inquirere =.

§. LXXXIII.

In illo beatitudinis regno, in quo pax summa est haud inveniri scandala poterunt, quae colligantur (1): animae siquidem immunes

(1) Ex D. Gregorio M. Homil. 12. in Evangel.

ibi sunt a potentia peccandi (1). Eam Civitatem sanctam Jerusalem, de qua scribit Joannes, = non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium. Et omne maledictum non erit amplius = (2). Secus etenim, si beatis datum foret in caelis peccare, gratiam amittere possent; hinc et beatitudinem, quae est gratia consummata. Sed beatitudo nequit amitti, utpote sempiterna ex demonstr. (§. LXXXI.) Beati ergo peccare non possunt. Illud insuper accedit, quod talis est beatorum conditio, ut a Deo, quem vident, quem diligunt, nequeant per errorem, aut pravitatem divelli: nam in intellectu, qui beatifica illustratur visione nullus error haberi potest, nulla pravitas in voluntate, quae perfecta caritate perfunditur. Verum in hoc peccati natura consistit, ut homo per illud a Deo avertatur. Beatitudinis igitur status necessario peccatum excludit. (3) Porro, cum ex dictis beati peccare non possint, ne quis inde audeat inferre, liberum arbitrium in coelesti regno

(1) Apposite Augustinus lib. 3. contra duas Ep. Pelagianor. Cap. 7. utrumque statum et viae et patriae insimul conferens inquit: — Hic praeceptum est, ut non peccemus: ibi praemium non posse peccare.

(2) Apocalypseos Cap. 21. v. 27., et Cap. 22. v. 3. et 4.

(3) Quoad impotentiam peccandi beatorum inter se disputant veteres theologi: Scotus et Nominales *ab extrinseco*, Thomistae *ab intrinseco* eos esse impeccabiles arbitrantur. De hac quaestione scholastica disserit Card. Gotti tom. 7. de ult. fine homin. Quaest. 2. dub. 5.

deesse. Quamvis indifferentia ad bonum et malum, quae *libertas* appellatur *contrarietatis*, propria sit hominis viatoris, eam tamen a beatis alienam omnino fore ideo tenendum est, quod perfecto gaudent voluntatis arbitrio. Haec quippe indifferentia nil aliud operanti confert, quam posse libertate abuti; in quo defectus est, non perfectio. Sed defectus quilibet ad rei essentiam non attinet. Ergo perfecta libertas absque facultate peccandi consistit. Id autem eo luculentius patet, si animadvertamus in Deo perfectam libertatem adesse juxta illud Ps. 113. v. 3. *omnia quaecumque voluit fecit.* Jam vero Deum peccare posse quis unquam dixerit? *Numquid*, clamat Apostolus ad Rom. Cap. 9. v. 14; *numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Cum igitur in Deo perfectissime libero nulla ad bonum et malum effingi possit indifferentia; consequens inde est, peccandi potentiam ad veram libertatem non pertinere, quin immo impotentiam peccandi constituere libertatis perfectionem (1).

(1) Haec eadem perspicue docet Angelicus in 2. Sent. distinct. 24. Quaest. 1. art. 1. ad 2. dicens: — Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum vel malum.... et ideo, ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest; quia imperfectum esse non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit, et hoc Deo con-

§. LXXXIV.

Beatos tum per visionem intuitivam tum per dilectionem Deo perfrui, jam vidimus (§. LXXX.) Utramque perpetuam fore, demonstravimus (§. LXXXI.); idque satis indicant mystica animalia ac seniores a Joanne conspecti in Apocalypsi cap. 4., queis die ac nocte requies non erat, cum clamarent *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens,* et adorarent, *Viventem in saecula saeculorum.* Ab hac porro sempiterna adoratione et laude, quae beatifici amoris denotat exercitium, cessare nunquam posse beatos plane sic ostendimus. Cum per visionem beatis Deus clare proponatur ut summum, perfectumque bonum; cumque voluntas per se ad bonum prosequendum necessario trahatur, fieri nequit, ut beatorum voluntas Deo per amorem non adhaereat. Nam si posset ab amoris actu cessare, id esset, quia vel in Deo diligendo aliquam mali rationem nosceret beatus, vel majoris boni rationem in dilectionis omissione. At neutrum dari potest: nulla enim mali species in dilectione Dei, qui fons est omnis bonitatis: nulla ratio majoris boni in cessatione ab amore, quia nullum bonum majus, quam

venit: bona enim, quae facit potest non facere, nec tamen malum facere potest.

cum Deo summo bono intima conjunctio. Felici ergo necessitate ad Deum perpetuo diligendum beati adstringuntur.

§. LXXXV.

Non modo justorum animae sempiternae beatitudinis consortes erunt, sed et eorum corpora, cum novissimo die in gloria resurgent: unde Tertullianus ajebat Lib. de resurrectione carnis cap 11. *Fiducia cristianorum, resurrectio mortuorum.* Resurrectionis dogma in lege veteri Sadducaeos rejecisse, constat ex Evang. Matt. cap. 22., ubi Servator Christus eos sic arguit v. 30: = erratis, nescientes Scripturas..... In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo =. In lege quoque evangelica complures habuit hoc ipsum dogma oppugnatores haereticos praeter Simonem magum, Cerdonem ac Marcionem, de quibus consuli poterunt Epiphanius (1), et Augustinus (2). Quam vero firma, quam perspicua sit catholica veritas de futura corporum resurrectione, ex utriusque Testamenti auctoritate satis compertum habemus. Legitur siquidem in Libro Job cap. 19. v. 26. = In novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle

(1) Epiphanius haeresi 64.
(2) Augustinus lib. de Haeres. Cap. 18.

mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum =. Legitur item. Ep. 1. ad Corinth: Cap. 15. v. 51. = Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti =. Hisce addjiciatur Traditio constans ac perpetua Ecclesiae, quae in Symbolis Apostolico, Constantinopolitano, atque Athanasiano hunc Fidei articulum semper et ubique retinuit, ac fidelibus praedicavit. Quod si circa possibilitatem veritatis adhuc probatae quispiam ex recentioribus pseudo-philosophis dubitationes forte moveret: audiat illi sic respondentem veterem Religionis Apologistam, Athenagoram nempe, qui Lib. de resurrect. mortuorum haec habet: = Hominum corpora cum non essent condidit (Deus). Ergo etiam quomodocumque dissoluta eadem facilitate instaurabit =: audiat Tertullianum Lib. de resurrectione carnis Cap. 11. dicentem: = Qui ex nihilo molitus est cuncta, poterit carnem in nihilo perductam exprimere de nihilo.... utique idoneus est reficere qui fecit: quanto enim plus est fecisse, quam refecisse = ?

§. LXXXVI.

Corpori caelestis gloriae una cum anima

participi varias competere dotes indubium est, cum eas hisce verbis Paulus enumeret Ep. 1. ad Corint. cap. 15. v. 43: = Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale =. Per sequentes conclusiones Apostoli doctrina hac ratione dilucidatur. *Si corpus surget in incorruptione:* ergo impassibile erit; quod enim incorruptibile est haud unquam dissolvi potest. Si *corpus surget in gloria:* ergo claritate ac venustate donatum erit juxta illud Matt. cap. 13. v. 43. = justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum =. Si *corpus surget in virtute:* ergo infirmitatibus expers erit; tum quippe ex Apocalyp. cap. 21. v. 4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Si tandem *surget corpus spirituale:* ergo et subtile erit, et agile: unde Paulo teste, ad Thessal. 1. cap. 4. v. 16. *rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

Quonam autem sensu intelligenda sit haec spiritualitatis beatorum corporum proprietas, ita explicat D. Thomas Lib. 4. Contra gentes Quaest. 86. = Spirituale quidem corpus resurgentis erit, non quia sit spiritus, ut

quidam male intellexerunt, sive per spiritum intelligatur spiritualis substantia, sive aer, aut ventus; sed quia erit omnino subjectum spiritui; sicuti et nunc dicitur corpus animale, non quia sit animal, sed quia animalibus passionibus subjacet, et alimonia indiget =.

Sed de beatorum corporum dotibus haec dicta sint satis. Praeter ea pauca, quae de beatitudinis proprietatibus postremo in hoc articulo pro munere nostro tradenda existimavimus, de ceteris, quae hac in re perhibent Theologi, si lubeat conferri poterunt Tournelyus (1), Bertius (2), et Contensonius (3). Interim, cum primi Institutionum Ethices Christianae Libri metam attingere nobis datum sit, reliquum est, ut juniores sacrarum disciplinarum studiosi eorum actus sic probe sic pie in hoc saeculo dirigere conentur, ut finem ultimum, de quo egimus, tandem assequantur; eam, videlicet, Beatitatem, in qua *Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur* (4).

(1) Praelect. theologic. t. 1. p. 1. Quaest. 16. et 17.

(2) Theologic. discipl. tom. 1. lib. 3. Cap. 12; et tom. 2. lib. 21. Cap. 5.

(3) Theolog. Ment. et Cord. t. 1. lib. 5. integr. dissert. 2.

(4) D. August. de Civ. D. lib. 22. Cap. ult.

Finis Libri Primi.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBRI PRIMI INSTITUTIONUM

INDEX

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM



	ERRATA	CORRIGE
Pag. XII.	Espicopo	Episcopo
„ 8.	depraecari	deprecari
„ *ibid.*	dissertissimus	disertissimus
„ 45.	praecipue	praecipuae
„ 47.	ledit	laedit
„ 63.	aeconomiam	oeconomiam
„ 76.	recentiores	remotiores
„ 126.	reditionis	redditionis
„ 128.	merit	meriti
„ 129.	reliqnunt	relinquunt
„ 141.	illud	illum
„ 177.	cristianorum	christianorum




Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

